

**Maier, Michel. Examen fucorum
pseudo-chymicorum detectorum et in
gratiam veritatis amantium succincte
refutatorum, authore Michaele Maiero,
com. pal. eq. ex. med. D.**


*Francofurti typis Nicolai Hoffmanni, sumptibus
Theodori de Brij, anno M. DCXVII., 1617.*

Cote : BIU Santé Pharmacie RES 11136 (2)

EXAMEN
FVCORVM
PSEUDO-CHYMICO-
RVM DETECTORVM

ET
IN GRATIAM VERITATIS AMAN-
tium succincte refutatorum,

AUTHORE
MICHAELE MAIERO,
COM. PAL. EQ. EX. MED. D.




FRANCOFVRTI
Typis Nicolai Hoffmanni, sumptibus Theodori de Brij,
ANNO M. CDXVII,

EPIGRAMMA AVTHO.

R I S.

Tanta apibus vegeto feruet sub pectore virtus,
Vt malint rigida succubuisse neci:
Ignauos quam non cieant ad praelia fucos,
Aut negligant pigrum sternere clade pecus.
Ex raptu siquidem viuunt spoliisque fauorum
Tam viles animæ, luxurieque tument.
Diuitibus loculos prædantur, scriniaque ære,
Vaniloqui Chymica qui nihil artis habent.
Lingua manusque dolis instructæque arte nocendi
Omne scelus versant pectore, reg, probant.
Hoc genus aucupii tantis est furibus, aurum
Vt capiant, furnos illice fraude struunt
Qui, volucres cacas ceu noctua in amite sistit,
Nequitia teneant mente oculisque rudem.
Dum deceptus erit, si quis sibi credulus, & mox
Captet, quas aliis ipse sponpondit, opes.
Hic habet in cornu fœnum, quem sponte caueto,
Hic niger est Cadmi frater & Orcus hians.

CLARIS-





CLARISSIMO, VIR-
TVTE, DOCTRINA, INGE-
NIQVE TROPHÆIS NVLLI SECVNDO

DN. IOACHIMO HIRSCHBERGERO,

Vtriusque Medicinæ Doctori, Chymix

veræ studiosissimo, amico suo

singulari

D.D.

MICHAEL MAIERVS D.



ON est dubium, vir Clarissime,
quin multis inopportunus vide-
ri possim, quod ad te negotiis
grauissimis præoccupatū, Ex-
amen fucorum Pseudochymi-
corum transmiserim & quasi
ex abrupto proscripserim, cum notorium sit,
cuiusmodi insecta quamplurimis, imo toti fe-
re mundo, plus satis molestiæ creare & inferre:
Etsi enim spiculis orbi videantur fuci, tamen

A 2 agili-

agilitate volatus, prædatoriâque audaciâ animati sæpenumero obruunt apiculas fauis suis incumbentes, easq; mellificio exuunt & spoli-
ant, vt ab experienciâ patet : Verum, quo ani-
mo id factum & consilio, si illi censores, tuq;
ipse, me audiueris, non est cur timeam, quod
hac de causa sis succensurus: Cum aliquando
in Anglia paucis ab hinc annis nonnihil bilis
in eiusmodi fucos Alchymicos, aut potius
Pseudo-chymicos, collegerim, nō potui quie-
scere, quin eorum delineationem, calamo ar-
repto, instituerem, tum vt animo meo pro tē-
pore indulgerem, tum vt bonis omnibus hanc
quasi facem incenderem, ne facilè in tenebri-
cosis illorum cryptis pedem lapidi, aut verti-
cem trabi illiderent, hoc est, se circumueniri
ab illis hirudinibus & crabronibus (qui non
solum sanguinem, opumque substantiam ex-
ugere, sed & dolores acerrimos animo corpo-
rique infligere tentant) paterentur: Hoc quic-
quid est opusculi, cum ad manus quorundam
perueniret, flagitârunt illi, vt id publici iuris
facerem

facerem, typisque committerem : cui proposito, cum nulli honesto nocere, plurimis autē prodesse, imò haud paucos ad decipiendum alios intentos cohibere & emendare, omnes vero ex æquo maleuolæ voluntatis patefacere possit, refragari nec debui, nec volui. At enim uero cum sine patrono eiusmodi, qui discernere sciat, quantū distent æra lupinis, foetum tam tenellum, fortè etiam multis inuisum & Iunoniis odiis pregrauatum, luci committere nefas visum sit, elègi mihi talem & tātum, qui illi pro tutela sufficiat. Quemadmodum enim pictores suas tabulas, quas pinxerunt, transmittunt non ad cæcos, sed acutū videntes, iudicioque in eo genere præstantes; Sic ego non ad Chymix rudem & inexpertū, sed ad te peritissimum artificem hosce meos nauos & nugas ablègo, tum vt à fucis veritatem mecum defendere, vt hætenus es solitus, pergas, tum vt tuas gemmas & flosculos chymicos (Glauci & Diomedis permutatione) eliciam, & cum amicitix firmioris vincu-

lo obtineam: Tibi, inquam, hos lurcones, seu fucos pseudo-chymicos, deridendos, & prout meriti sunt, tractandos propino & obfero, qui Examini huic vt testis & Arbiter æquissimus adsis, imò præsis, ne cuiquam iniuria, quod nolim, fiat: quos vt omnibus bonis exosos & præcauendos æstimabis, ita me inter tui (vti & ego te vicissim inter mei) amantissimos posterum numerabis: Vale, Dabam Francofurti ad Moenum, Mense Septembri Anno 1616.

PRÆFA-



PRÆFATIO AD LECTOREM BE- NIGNVM.



Ecce vos, benigne Lector, communiter vocamus genus illud apum, quod ociosum existens & deses aliena depraedatur aluearia; aut pro colore quocunque fictitio, haud genuino, nauiis deformib. corporis palliandis congruo: atque hinc pro dolis, fraudibus & deceptionibus quibuscunque usurpamus. Nos ad primum illum modum respicientes pseudochymicos apte fucos dici censemus, cum velut ignava pecora alienas expensas & opes consumant, seque imposturis & mendaciis in diem sustentent: Eorum autem colores & frustraneos labores, quos ad inescandos imprudentiores se perfecturos vanissime promittunt, ad secundum nominis eiusdem usum collimantes, sic quoque dici posse arbitramur: Quid enim genuini aut veri expectabis ab illis, qui ad decipiendum alios faciem & rem suam omnem componunt: qui nihil veritatis proficiuntur, nisi cum se mentiri egregie asserant, & e contra, nunquam grandiora mendacia spirant, nisi cum se vera dicere peierant. Habent autem hi fuci primo aspectu nonnihil cum veris apibus seu artificibus chymicis commune, ita ut ex bombo vel strepitu vocali vix ab illis dignoscere possis, hoc est, ut vix ex primis vocibus de ARCANO philosophico & MAGNO LAPIDE antiquorum perstreptibus, inter hos & illos discernas: Verum si probe animaduertes, in perisq. tamē differentias diagnosticas illorum perspicies, quibus à veris artificibus magis distant, quā contrarium à suo contrario, aut nigrum ab albo: Has ut aliquo modo delineemus
(nam

(nam omnes exacte depingere est omnino impossibile) in emolumentum & præcautionem filiorum doctrinæ, quo sese ab hisce Harpyis & Sirenibus Ulyssæo & sagaci ingenio præmuniant, aliquot species fraudum & fucorum, partim ex aliorum libris desumptorum, partim ex communi fama & querela haustorum, producemus & refutabimus: Ex quibus non erit difficile de multis aliis deceptorum inuentis, quæ iam nec nomine nota sunt, & in dies noua ab illis depromuntur in vsum, iudicare & sententiam ferre. Tu quisquis es, benigne lector, ex dictis dicenda & ex paucis multa percipies, & artem omnium diuinissimam, Chymiã, ab impostorum fucis & nugis ingeniose discernes: Non enim arti innocentissimæ ascribendum est, quod tot prædonum & raptorum iniuriis sit exposita, sed potius horum inopportunitati & audaciæ nequissimæ, quæ veluti muscæ omnibus splendidis & politis rebus insidere, easque pro libitu suo infectas reddere exoptant. Vale.

EXAMEN



EXAMEN FVCO- RVM PSEVDO-CHYMI- CORVM.



QVOD Poetæ antiqui de suo HELICONE finxerunt, quod ex diuersis hominum generibus ad eius apicem tendentibus paucissimi eo, quo destinarent, perueniant, multi in medio hæreant, desperantes ad summa ascendere: Maxima autem pars, ad radices imas subsidens, ne cogitet quidem pedem altius efferre, id de Chymica arte reuera absque vlla translatione aut figura intelligi debet: Est enim HELICON mons Bæotiæ, non procul à Parnasso, Musis sacer, in quo LAPIS ille à Saturno pro Ioue deuoratus, eiectus, PRO MONUMENTO perpetuo seruatus est, vt testatur Hesiodus: Ad hunc LAPIDEM videntum & pro summo miraculo amplectendum contendunt ad dictum montem multa hominum millia: verum vix vnus ex myriade ad istum peruenit, ceteris, vt ante relatū, circa media & ima occupatis: Causa vero tam difficilis adscensus in hunc montem est multiplex, de qua alias. De artificibus, qui euictis difficultatibus omnibus verticem superarunt, dictum est in SYMBOLIS AVREÆ MENSÆ: Illis, qui circa media latera morantur, & viam ignorant, cui insistant, VIATORIVM, instar Ariadnes Philosophicæ, dicauimus, vtpote Philosophis & doctis viris, qui extra septem illas portas, seu Montes Planetarum non euagantur: Cæteri, qui ad infima loca abiecti, circa planitiem existentes, partim otiosi lurcones, pigrique ventres, partim nebulones ineptis nugis & dolis satagentes, excurrunt in aliorum res & bona genio prædatorio,

B

aut

aut certe ingenio proditorio, ad hunc tractatum reſeruati ſunt: *Primis* gloria & honos pro artis documentis, veluti didac̃tron debitum, ceſſit: *Secundis*, Instrumentum vel filum non inconcinnum ad artis penetralia viam monſtrans à nobis adminiſtratum eſt, vt quaſi à carceribus ad calcem, ab initio ad finem, feliciter perueniant: *Vltimis*, vtpote fucis admonitio & caſtigatio in E X A M I N E præſcribitur: *Fucos* autem eos omnes vocatos velim, non qui in arte ſimpliciter errant & decepti ſunt ab aliis, ſed qui alios animo decipiendi inuadunt, tentant, irretiunt & fallaciis captant, ſua cum vtilitate, & illorum damno: Quod genus hominum cum tam Rei publicæ, quam Chymicæ ſit valde noxium, in primis agnoſcendum & præcauendum erit. Maxime autem indiſcreti ſunt illi, qui omne Chymicorum nomen cõfundunt, & vel hos peſſimos nebulones cum viris probis & doctis, qui abſque alterius noxa arti omnium præclariffimæ operam & laborem impendunt, exæquent, aut econtra innocuos cum nocuis, ſalutares cum peſtiferis, doctiſſimos cum indoctis & optimos cū peſſimis deiciant, quaſi nulla ſit differentia inter virtutem & vitium, honeſtatem & dedecus: Hi enim, qui ita iudicant, omni iudicio ſe priuatos oſtendunt & parum differre à ſtultis, qui cum videt ſe aut alios acie cultelli læſos, in omni vita eodem abſtinent, ita vt potius oſſa arrodere dentibus, inſtar canum, quã cultro vt gaudeant. Verum quis damnabit ignem & aquã, quod interdum maxima damna ea elementa quibuſdam inferant? Quis proſcribet omnia Alexipharmaca & medicamentorum auxilia, cum nonnunquam non conferre, imo & obeſſe ſoleãt, ſi illorũ non dexter adhibeatur vſus? Prudẽtis eſt diſcernere inter bona & mala, inter legitima & illegitima, inter vera & falſa: qui ſecus fecerit, iniqui iudicis partes ſibi vendicabit. Nullus, vt opinor, vidẽs arua ſua optimo tritico luxuriare, nihilominus ſterili auena & lolio infælici intermixto, ſegetes bonas & vtilis cū herbis inutilib. peſſum dabit & in fimetũ vertet, ſed triticum à paleis & mixturis aliis. vt decet, ſeparabit, nèpe triturando duris & ventilando leuibus: quibus duob. mediis id quod hominum vſibus & panificio reſeruandũ ſit, à ſtraminibus & paleis ſegregabit. Eodem modo in hac arte magnus eſt prouentus Pſeudo-chymicorum fucorũ, qui licet ſint peſſimæ voluntatis, nullius fere doctrinæ & morũ impuriſſimorũ tamen adeo habitu, ornatu & ſermone magnificos interdũ ſe mentiuntur, vt omnĩ oculos in ſe conuertant, & pro veris Chymicis habeantur, etiã illis, qui artis apie

tis apicem attigerint: Hi postquam Principibus aut aliis diuitibus se insinua int, omnes vere doctos p̄ se contemnunt & flocci faciunt, donec tandem ex sceleribus & dolis agnoscantur pro pessimis nebulonibus: An hic erit conueniens, omnes Chymicæ deditos cum iam dictis vnius farinae æstimare? An liceat hoc arti imputare, quod artificii non verò, sed laruato & personæ non bonæ ascribendum sit? Neutiquam arbitror. At *quomodo discernam*, inquires, *inter hos & illos*? Nam sunt, Qui Curios simulant & bacchanalia viuunt: Sunt, qui impurissimis vitiis scatent & extrinsecus pro optimis agnoscentur: Alij artē experimentis & rationibus indubitatis asserunt, qui tamen deceptores tandem inueniantur: Nonnulli diuitiis videntur abundare & artis Chymicæ fructibus frui, qui tamen rem vel furto vel fraude alia sibi compararint, vt sese vulgo ostentandos & admirandos præbeant, qua absumpta, & habitum & solum vertunt: Sunt enim illis quasi auri aucupibus noctuæ multæ, vestes ornatae & preciosæ, aurea & argentea instrumenta, annuli, catenæ, famuli frequentes, præ reliquis furni artificiosi plurimi in Laboratorio, omni genere supellectilis instructissimo: His insidiantur auro alieno, quod acceptum transmutant in delicias corporis quascunque, atque sic quasi circulatione quadam semper nouum aucupantur: *Quomodo*, inquis, *ab his præcauebo mihi*? Facilius erit à prædonibus & furibus se intactum & immunē præbere, quam ab eiusmodi bládiloquis deceptoribus, Alchymistis proprie dictis, qui quoscunque oculis aut manibus attigerint, peius Maris & Psyllis fascinare solent & extenuare: Hæc est nostræ scriptionis occasio & summa, propter quam suscepta est, vt nimirum eiusmodi fucos suis coloribus exornem & omnibus bonis deridendos, aut potius digito notandos exhibeam, vti ab istis, tanquam fœnum in cornu gestantibus, & nigellis Cadmeis fratribus eminus abstineant & se tutentur: Quæ prouincia licet ardua & sat dura videatur, quia malorum quorumcunque inuidiam potius, quam gratiam bonorum auctori conciliet, tamen quia cum artis honore & artificum verorum commendatione coniuncta sit, siquidem videam vix nullum, nisi obiter, hanc telam texuisse, à me qualiscunque sit, non repudiari debuit.

Nonnulli antehac verum artificem Chymicum satis depinxerunt, inter quos Geber & alii recentiores, ex quorum scriptis collatione facta liceret de Pseudochymico facile iudicare: At cum multa

B 2 requi-

requisita ad artis cognitionem spectantia & veris necessaria interdum quoq; à falsis vsurpentur, ac præterea his sui doli & imposturæ multiplices absque numero inseruiant, vbi vna probitas & veritas illis sufficit, hinc necessum fuit, non saltem *generalem* ex contrariorum doctrina cognitionem de fucis huiusmodi repetere, sed magis *specialem*, qua eorum deceptoriaræ viæ & diuerticula erronea præcludantur, instituere: Inter reliquos Albertus Magnus in tractatu secretorum à Sophisticis deceptionibus artificem magis specialiter dehortatur, (licet breuiter) dum inquit: *Non sis deceptor gentium: quia qui decipit fratrem suum, decipit animam suam & corpus suum, & amittet Deum & mundum: similiter caue, ne in rebus Sophisticis cortuum mittas: quia nullum proficuum in illis inuenies, sed potius damnum & famam malam, & in miseriam & paupertatem deducunt te: quia non inuenitur in re, quod in ea non est: quia illa est summa Sophistica, quæ vocatur primus ordo secundum Geberem, & non fuit facta, nisi vt perfecta scientia esset magis obscura: quia multi sunt in mundo cupientes plus vnā dealbationem vel rubificationem Sophisticam, quam opus perfectum, & hoc totum propter longitudinem temporis: & quia videtur istis deceptoribus euntibus per vniuersum mundum, in paucis diebus posse dealbare Venerem & rubificare Lunam, propter magnam cupiditatem, quam habent & instigationem diabolicam, veram scientiam & perfectionem dimittunt: Et quia cum imperfectum oportet omnino corrumpi, ideo dices, quod omnes illas Sophisticationes oportet corrumpi, & hoc totum est certum. Quare rogamus ac etiam precipimus, vt nullus sapiens in rebus Sophisticis ponat suam intentionem: sed sicut nos fecimus, ita etiam & vos facite.* Hæc Albertus: Vt itaque artifex verus iuuatur naturæ bonis, ingenio, assiduitate, lectione, operatione, libris, libero arbitrio, diuitiis & sumptibus: ac commendatur temperantia, pietate, probitate, vigilantia & varia doctrina: Ita Pseudo-chymicus contra luxuria, impietate, improbitate, pigritia & tenui eruditione agnoscitur, licet reliqua interdum possideat, quibus verus iuuatur.

1. Diuidemus autem omnes huius notas in quatuor differentias: quarum
Diuisio nota prima est: Quod artis illius, quam profiteretur, nullam vel exiguam
rum Pseudo- habeat cognitionem, tum Theoria Philosophica, tum praxi manua-
chymici fu- li destitutus.

2. *Secunda*, quod aurum multum pro paucis, artem optimam pro
 vili precio, ac illud, quod nunquam fecit, pro facto, quod nunquam
 sciuit

sciuit, pro scito, quod non habuit, pro iam ante possesso, sed modo non præsenti, polliceatur: hoc est, quod pauper diuiti opes, quas ipse non habet, pro huius, quas habet, contra naturæ, rationis & experientia ordinem promittat.

Tertia, quod magis ostentationi vulgo factæ, quam simplicitati secretæ, magis ceremoniis externis, ad rem parum spectantibus, quam rebus ipsis deditus, magis vitiis, quam virtutibus, magis mendaciis, quam veritati, mancipatus sit.

Quarta, quod dolis, imposturis, circumuentionibus & fraudibus illicitis, imo furtis & aliis sceleribus pollutus suas operationes ad inescandos homines & fidem suis rebus impetrandam instituat, & tandem exitu ipso vel fuga inhonestissima se deceptorem declaret.

Hæ quatuor notæ fere in omnibus Pseudochymicis concurrunt & rarissime solitariae apparent: quarum duæ cum ante operationem cuicunque non inertis ingenij innotescere possint, illæ in primis, utpote in ordine priores, obseruandæ veniunt: Reliquæ duæ, nempe tertia & quarta, quamprimum operationi vel experimentationi suæ artis manum adhibuerit, sese quoque produnt, & authorem ex opere, causam ex effecto demonstrant: Nunc de singulis his quatuor notarum differentiis specialius agemus.

DE PRIMA NOTA PSEVDOCHYMICI FUCI.

Pseudochymici plerunque non sunt ex illis, qui omnem vitam & operam suam bonis artibus & literis addiscendis impertuerunt, sed quasi forte fortuna & per transcursum ad hanc sacratissimam scientiam, illotis, quod aiunt, manibus & pedibus, conuolant, non aliter quam scarabæi in Mense Martio ex diuersis partibus, quasi magnetica vi contrahuntur in Equina Scyuola: quibus odoratu perceptis & inuentis vnice gaudent & inhaerent, eoque donec se amplius tegere nequeant, tum hunc aceruum nimis tenuem relinquentes ad alium propinquiorem & grandiolem se conferunt, quo ventus & fortuna ipsos deportarint: Cum enim vel vitam otio & luxuria hucusque contriuerint, donec annis pannisque sint obliui, vel alias officium vel opificium sat honestum, cui prius addicti fue-

B 3 rant, ex

rant, ex incuria, pigritia aut ære alieno reliquerint, atque ante vel tum in librum vnum aut alterum Chymicum manuscriptum aut typis vulgatum materni idiomatis inciderint, inque eo pagellas aliquot euoluerint, non diffidunt, quæ ibi ad litteram scripta sunt, se suo ingenio penetrare & manu perficere posse: Siue itaque sui similes magistros habuerint in tractandis illis vulgatis Chymicæ seu Alchymicæ operibus, siue ipsi ex sese prima rudimenta hauerint, perinde est: Videbis ex hoc homuncione, qualiscunque ante fuerat, factum peritissimum, si diis placet, Philosophum, ex cerdone doctum, pauperrimo re, ditissimum spe, qui nil nisi sanctum lapidem loquatur, nisi albificationes, rubificationes, cementationes, distillationes, sublimationes, & eiusmodi innumeras loquendi formulas breuissimo tempore cognitas ebuccinetur: En primam transmutationem in ipso animaduertes, qui ex aurifabro auri confector, ex phamacopæo medicus Chymicus, ex barbitonfore Paracelsicus artista, ex decoctore patrimonii proprii, decoctor auri & alieni: Ex mulo-medico seu veterinario veterator subtilissimus, ex homine nequâ nequissimus bipedum euaserit: Atque in hæc omnia facilis & pronus sua quasi natura videtur, utpote cereus initium flecti, indeque sibi ipsi admirabilis factus, qui acutissima sui ingenii acie abditos processuum sensus, aut Chymicæ mysteria obscurissima peruadat & transpiciat.

Verum etsi eiusmodi artis fæx (non artifex) sibi ipse persuaserit, sese perfectum in arcanissimis Philosophicæ Chymicæ theorematis, tamen nos demonstrabimus, ipsum potius pascendis ouibus aut Camelis (ut senior loquitur) præesse posse, quam Physicæ minerali operam impendere: magis aptum stabulis & aratris, quam Tabulis Smaragdinis & Hamuelis, artibusque tractandis haberi: Philosophorum dicta de artifice idoneo citare, esset res perfacilis, at nimium sese extendens.

Quocirca breuitatis studio saltem potiora artificis requisita in genere colligemus, cumque iis, specialibus authorum testimoniis omis- sis, nostrum hunc, ex semetipso ortum, Ephemerum doctorem Chymicum comparabimus & parallelum instituerimus.

Oportet sane artificem verum, aut qui ad veritatem Chymicæ propria doctrina consequendam aspiret, non esse vulgariter eruditum, quod patet ex hoc vnico Philosophico dicterio, quod sic habet: *Astronomia & Physices scientia omnibus legentibus patense est, nostra autem ars non nisi*

nisi à sapientibus sciri potest, teste Rosino ad Euthic. Constat autem quam late se extendat, *Astronomia & Physica*, quod nimirum illa non absq; duabus aliis, *Geometria & Arithmetica*, præcognitis & habitis addisci possit: Quæ duæ scientiæ fundamentales Matheseos omnibus velleuiter doctis cognitæ esse debent, adeo vt Plato nullum discipulum in Scholam suam admiserit, qui non mathematicis disciplinis satis instructus fuerit: Hinc auditorio suo hoc Epigramma seu edictum præfixit: *ὁυδὲὶς ἀγνομήσῃ τὸ ἐπιστῆναι*: Et Xenocrates ad eum qui neque *Geometria* nec *Astronomia* imbutus ludum suum frequentare cupiebat, *Abi*, inquit, etenim *ansis & adminiculis Philosophiæ* cares: Quod si itaque *Geometria & Arithmetica Astronomiæ*, atque hæc simul *Philosophiæ*, quæ *Physica* statuitur, necessariae sint, *Physica* vero ipsa vna cum *Astronomia* cuicunque nota esse possit, *Chymia* saltem, vt ante dictum, sapientibus, patet hanc vltimam cæteris omnibus esse longe difficiliorem. At quibus proprie artibus & dotibus artificem eiusmodi præcellere debere, antequam se *Chymicæ inquisitioni* dedat, quæres? Sane multiplicibus.

Ingenio sit non stupido, sed docili: non tardo, sed subtili: vt inter possibilia & impossibilia naturæ & artis siue mentis impetu discernere possit, nec semper literæ nudæ, imo rarissime adhæreat: *Memoria* polleat & imaginatione, cui tamen absque intellectus discursu non nimium tribuat aut indulgeat: *Iudicium* seu intellectus patiens de his omnibus calculum det aut neget: Tantum quo ad animæ bonæ: quo ad corporis & fortunæ, sit patiens laboris, membris integer & validus, satis opibus instructus.

Verum cum quilibet non sit adeo degener, etiamsi stupidissimus, qui non sibi omnia iam dicta tribuat & ascribat peculiari quadam indulgentia & adulatione, cum de propriis dotibus, non de alienis, iudicium ferre possit, & quantum ipse nouit, non plus, imo longe minus, alium quemcunque nouisse, imaginetur: Hinc ex certis tecmiriis & diagnosticis discernet suam eruditionem: Absque omni dubio, qui velit & speret ex doctrina propria indagare hanc artem & non tumultuaria quadam materiærû experimentatione, ille opus habebit artibus dicendi & linguis, quarum ambitu ars *Chymica* cõprehenditur: ac inprimis *Poetica*, quæ de nullo alio subiecto, quam de *Chymicis* al- *Chymico necessaria.*
legoriis & figmentis primitus introducta est, quæadmodum in nostris *Poetica.*
Hieroglyphicis per omnes libros & fabulas demonstrauimus: Nā qui cor-
ticem.

Grammatica

Rhetorica.

Logica.

Ut primum
instrumen-
tum.

ticem rerum inclusarum non penetrat, is minime ad has perueniet, sed semper hærebit in superficie & literali interpretatione, quæ etiam si satis nota esset, tamen non prodesset, nisi & figuras & allegorias, seu metaphoras dicendi, quibus sæpissime vtuntur authores, omnes perspectas habeat: Has non solum Grammatica & Rhetorica supeditat, sed & Poetica & Philologorum lectio assidua, qui saltem circa subtilitates verborum occupati Crisim suam in omnium dicta extendunt. Adhæc Logica seu Dialectica cum omnibus suis partibus artificem latere non debet, cum & ratiocinationes & argumenta rerum inde depromantur & iudicentur.

Has quatuor itaque artes, quasi triuiales Artifici vero futuro maxime necessarias dicimus, quæ sint quasi bases cæterarum omnium, de rerum essentiis agentium.

Iam consideretur *Pseudochymicus*, qui Herculeos labores suis humeris æquales existimat in indagando ARCANO Physico, quantum excellat in his artibus puerilibus: Vix latinum sermonem ipsum calere senties, ita vt perperam eo vtatur, ac non nisi corrupte, tantum abest, quod omnium verborum vires, vsus & metaphoras apprehendat, quæ cum sint numeri infiniti, hinc nihil aut parum de mente authorum intelliget, cum vocabula in communi sensu vix percipiat: Verum hi securi sunt satis, se in linguis apprime versatos esse, cum vnum aut alterum verbum semilatine respondere ad interrogata possint, existimantes, arcana artis non in verbis Romanis delitescere, sed in quacunque lingua vulgari: ideoque nil aut parum conferre cognitionem linguarum aliarum, nec artes illas dicendi: atque hinc non putant esse docti viri quicquam sapere de rebus Chymicis, sed has saltem spectare ad sese, & ad suos socios, Alchymistas, hominum pessimos: Sed falluntur in hoc, vt in aliis rebus omnibus: Nam ex consensu omnium Authorum captanda est veritas: At consensus ille non animaduertitur alicui, nisi exercitato in linguis prædictis & artibus dicendi, quæ cum desint *Pseudochymicis*, primum Instrumentum & præcipuum illis deesse creditur, hoc est, manus vel anfas vel aures, quibus res tectas detegere & oblatas capere deberent.

2.

Geometria.

Arithmetica.

Physica.

Medicina.

Deinde sunt aliæ disciplinae Chymico magnopere necessariae, ad intelligendas res, quæ pro similitudine adducuntur ab authoribus: Tales sunt antedictæ scientiæ, Geometria, Arithmetica, Astronomia & Physica: Præter omnes autem Medicina: Ex his enim scientiis & artibus au-

bus authores fere omnes suos loquendi terminos defumunt & allegorica translationes, quibus non intellectis, obscuritas remanebit in mente veritatem sub illis latentem indagantis: Nam quoties minerunt de cœlestibus signis, motu Solis & Lunæ, Ecclipsi & similibus? Quoties materiæ primæ & reductionis in eam, generationis & corruptionis, seminum vegetabilium & animalium & eiusmodi innumerorum mentionem fecerunt? Imo nihil in tota Physica seu natura rerum, nihil in tota medicina vel præceptorum, vel axiomatum, causarum vel effectuum, occurrit, quod non Chymia sibi accommodet mutuo ab illis desumptum: Ergo qui hæc omnia ignorabit, destituetur secundo instrumento ad Chymicæ veritatem capessendam necessario. At hæc omnia tam longe absunt à mente Pseudochymici, ut ne somniet de illis, nedum aliquid certi aut veri apud se animo præconciat: Hinc Philosophi dicunt, quod absque notitia harum scientiarum ad sacram Chymiam accedant, ut asini ad fœnum, nescientes ad quid rostrum porrigant: Imo quod similes sint sagittatoribus cæcis, qui auiculam exiguam, cuius vix tinnitum audiunt, se eminus transigere posse sperant, at frustra.

Tertio præter iam dictas scientias sub Philosophiæ aut medicinæ ambitu comprehensas, sunt adhuc aliæ, futuro Chymico non solum utilissimæ, sed perquam necessariae, nempe *Docimastica* illa, quæ inquit per ignis magisterium minerarum & metallorum mixturas & valores, hoc est, quæ docet Examina metallorum omnium instituendi per Cineritium vel cupellam, quartationem seu aquas fortes, cementum, antimonium, & eiusmodi alia: Item quomodo fiant & eorum colores seu tincturæ, smalta dicta, quomodo opera figulina & vitrificationes illorum, quomodo pictorum & tinctorum diuersi colores, quorum alij sunt corporei, alij quasi spirituales: alij mixti & compositi ex aliis, alij simplices: Aurifabrorum quoque opera & fabrorum quorumcunque metallorum debent esse non incognita: Hæc & his similia cognitionem Chymici valde augent & iudicium roborant, ne tam facile aberret, quam alius harum rerum nulla notitia suffultus: De omnium horum scientia Pseudochymicus rarissime est sollicitus, & si forte quid manualis istius operis viderit aut cognouerit, causas tamen eius, ex defectu discursus, certissimas rimari non potest: Vnde tantum est, quam si non sciret: Aut si sciat, ad suos &

3.
Docimastica: & alia artes huic conuenientes.
Tertium Instrumentum.

C

praxin

praxin indebitam transfert: Atque sic ipsi deest tertium instrumentum, coadiuuans eius actiones & theoriam.

4. *Natura mineralis inuestigatio & cognitio.* Quarto superest *natura mineralis consideratio*, quæ domi cuiquam non obuenit: Cum expedire artificii plurimum videatur, si peregrinationes suscipiat ad cunabula metallorum perfectorum & aliorum, ut multa videat & audiat sub terris & in illis locis ab operatoribus, quæ nunquam legere potuisset, & si legisset, non tamen intellexisset aut credidisset: Hæc contemplatio multum iuuat ingenium artificis, ut intelligat causas naturales generationis metallorum quorumcunque, & in quo perfecta ab imperfectis differant, & in quo conueniant: Hæc fuit causa, cur antiqui finxerint Lynceum quendam tam acri oculorum acumine, uti ad intima metallorum loca penetrare potuerit, & obseruare, ubi aurum & argentum lateret, ex quibus mineris, quomodo, cresceret, veluti Augurellus ex historiis vetustis canit: Nullus enim alius per eum intelligitur, si ad suam veram fictionis originem (cum historia non sit) transferatur, nisi Chymicus artifex, qui contemplatur naturas metallicas sub terra crescentes & secundum eas artis imitatricis documenta dirigit: Vnde dicitur quoque *nouissimam conspexisse Lunam, primamque eodem die in signo Arietis*, quod paucis mortalium contigit: Quæ verba non historice (ut multi falso putant) sed allegorice capienda sunt, utpote verissima & non exiguum artis partem declarantia: Talis omnino Chymicus est, at Pseudo-chymicus, qui nullam generationis metallicæ cognitionem oculo tenuis hausit, nisi forte superficiale, quæ ipsi non multum, cæteris absentibus, prodesse poterit: Nouit absque dubio omnia metalla ex argento viuo & sulfure ortum ducere: Verum interim non inquit, quale illud sit argentum viuum & quale sulfur, unde aurum generetur: Hoc sciat, non esse hæc vulgaria, sed metallica, & vnum ex altero educta medio sulfuris corruptibilis & separabilis & tanquam patris seu ignei fomitis, qui sulphur metallicum procreat & incendat: Quæ omnia cum antedictis collata artificem eiusmodi deſotant, quo ad mentem & corpus, qui habilis sit, ut in eum artis cognitio cadat: non quod hæc omnia sint de artis essentia & necessitate, si ab alio discatur & per experimentum habeatur: Tum enim ocularis demonstratio plus est, quam hæc singula dicta aut dicenda: Verum hic nobis sermo est de inquisitione artis per propriæ indagationis modum, non per alienam experientiam: Hinc Geber in *sua summa*

Summa cap. 1. Sed scias, inquit charissime. quod qui principia naturalia in se ipso ignorauerit, hic iam multum remotus est ab arte nostra: Quoniam non habet radicem veram, supra quam intentionem suam fundet: Et qui principia sua sciuerit naturalia, & causas mineralium omnes, nondum tamen adeptus est verum finem & proficuum huius artis occultissima. Habet vero faciliorem aditum ad artis huius principia, quam cui ignorantia cadit super intentionem eius de modo huius nostri operis, & hic parum remotus est ab artis introitu: Qui vero sciuerit omnium principia & causas mineralium & generationis modum, qui ex intentione naturæ consistit, parum quidem aufertur ab eo de operis complemento, sine quo tamen non potest scientia nostra perfici: Quoniam ars imitari non potest naturam in omnibus operibus, sed imitatur eam, sicut rite potest. Hæc ille: Quæ singula de Theorica Philosophiæ huius parte intelligenda sunt, in qua Pseudochymicus parum aut superficiale quid nouit, ideoque vno quasi oculo orbatus est hac in parte: At vereor, quod & altero non multum videat, qui praxin versus dirigitur, atque si talpa cecior sit: In praxi vero quas operationes ille exercere potest? Sane non Philosophicas, sed deceptorias, & ad artem non magis spectantes, quam stramina & paleas ad medullam tritici: Sexcentæ sunt furnorum, vasorum, vitrorum, calorum, species: non pauciores calcinationum, distillationum, sublimationum, fixationum, incerationum, reuerberationum, circulationum, solutionum, descensionum, mixtionum, coagulationum, & similium modi: Quis nunc enumeret materias omnes vegetabiles, minerales, metallicas, salia, sulfura, corpora, mercurios, spiritus? Quorum omnium cum magna varietas, etiam simplicium per se, hinc cum inter se alternatim & multipliciter misceantur, operationum illarum numerus immensus procedet: Ex his quædam eligit Pseudochymicus, quibus se exerceat, aut intentionem suam exerat & in actum ducat: Verum Lullius ex Theor. test. cap. 66. respondeat illi, ubi inquit: Item nisi habeas intellectum proprii modi operis naturæ & ponas te ad distillandum, & credas bene facere cum illa, consumeres prius totum vitæ tuæ tempus, etiam si per mille annos haberes viuere & semper distillares, antequam duceres ad bonum quatuor Elementa, nisi primo eorum cuiuslibet per se intellexeris virtutes & postea omnia sua signa bene cognoueris in suis mutationibus, quæ fieri non possunt sine propriis instrumentis: Atq; sic primam notam Pseudochymici fuci factis euoluimus.

tius accusat, si absque causa repetatur: si fecisti, ut iactas, an non tantum retinuisti, ut tute tuis sumptibus ipse denuo comparasses? Respondes, te habuisse satis magnam auri partem, quam naufragio, furto vel spolio amiseris: Quis hoc credat, quod tu ipse non credis? Qui te spoliavit magna auri portione, maius artificium præstitit in eo, quam tu polliceris alteri: quia ille, quod tu non habuisti unquam, tibi surripuit ipso facto, tu vero, quod non habes, alteri promittis de futuro: Quod si verum esset, te spoliatum ab altero, forte tibi contigit, quod in hoc versiculo promittitur: *Væ tibi, qui spoliās, quoniam spoliaberis ipse*: Et, *Per quā quis peccat, per eādem punitur*: At lupo lupo vix insidiatur, nec coruus coruo, licet uterque raptu viuat: De prædatoribus & furibus hoc dicere vix conuenit: Nam, ut quidam Philosophus dicebat, sæpe fures fures & prædones suis opibus exuunt, imo & vita, nempe magni paruis, ut lucij lucios: At te spoliatum non credo, quod spoliāris alterum, facile suppono.

Verum sunt alii huius sortis, qui habent verisimiliores responsiones in promptu, cum vendunt magnam vim lapidis, nondum perfecti, una cum processu, proque eo millenos aliquot ducatos recipiunt: uti quidam Grassator notissimus usu ipso factitavit: Dixit enim, sese eo perduxisse cum magno labore, ut ab alio perfici possit, non tamen absque labore, in quo cum hætenus defatigatus fuerit, se malle aliquantulum quiescere & alteri pro certa pecuniæ summa concedere, ut & ille tanto Dei dono secum fruatur, nec hoc totum apud sese sepeliatur: Audi, quanta astutia cum mendacio coniuncta est: Quis non confideret huic homini adeo misericordi, ut de suo thesauro alteri magnum pondus pro exiguo precio, ut refert, impertiat? Quis non ipsi quietem post tantos labores largiatur? Quis non ei tantillum auri pro magna vi latente in lapide credat? sed quis ille? Nonne grassator & lupo? Imo deceptor & impostor, licet doceatis potius, quam decipientis nomen sibi falso accommodet & torquatus incedat: Huic in fronte ascriptum decuit, CAVE CANEM: ne blandiloquace lingua plures falleret & in sua retia cogeret: Gramina tam luxuriosa non indigna essent, ut à messore sternerentur idoneo: ne anguis toties ibi se abscondere, hominibus lethalis: At heus tu: An non, ut fucus, solitus es depre-
dari loculos diuitum incautorum? An non per tot annos congestisti
argenti aurique spolia in locum tuo nido non insalubrem, ut opina-

*His sub gramini-
bus late-
ret anguis.*

C. 3. ris?

ris? An vnquam laboris quid tractasti, vnde ita defatigatus sis, præterquam quod mentem & omnes neruos intenderis ad decipiendum etiam cautissimos, si modo te audiant? Pudeat te, honestos aliorum titulos tibi assumere & pro larua vsurpare, cum sis pessimus nebulo: Quid tibi cum sacra Chymia est negocij, impostor, nisi vt sub eius nomine inuadas ipsius amantes? Linguam componis ad mentiendum, gestum fingis ad seueritatem, frontem perfricas ad audaciam, manus instruis ad dolos, habitum induis personæ non ignobilis, vt nobiliores decipias, atque sic optime instructus inuolas in imprudentes, à quibus sæpe magis oneratus redis, quam accessisti: Verum alius tua facinora ex te extorqueat, nobis in genere hic notissima perstrinxisse sufficiat.

Infallibilis itaque nota est fuci Pseudochymici, auro vendere aurum, certo incertum, paruo immensam: Cui si quis aurem præbeat, captus, si fidem adhibeat, deceptus est: Est enim contra omnem rationem, quod ille, qui tantam artem reuera sciat experimento probatissimam, velit eam vendere alteri pro mica panis, vel frustulo auri: si vero ignorat, idem est, tanquam verba dedisset & ventum ipsi vendidisset accepta pecunia: quod si vltimum ita est, tum pro vento deceptor nimium auri accepit, & emtor deceptus est: Si prius, tum vëditor: Leges ciuiles permittunt contrahentes emtione vel venditione se inuicem circumuenire, at ne precium dimidio plus datum vel acceptum fit, non quod hæ deceptiones sint legis diuinæ & approbandæ, sed ne hominum querelæ in infinitum crescerent & de lana caprina vel asini vmbra sapius, quam de rebus magni momenti excitarentur: Si autem vltra dimidium iusti precij deceptio facta sit, datur beneficium seu exceptio tam emtori, quam venditori, dicta, vltra dimidium iusti precij: vide *notata in c. cum causa. de emtio. & vendit.* Verum in his mercibus furorum Pseudochymicorum nulla est proportio, dum hi dant verba & periuria pro auro: Quantum enim venti inanis pro drachma auri valeat æquivalente precio, non constat. Quid multis? Qui picem attingit, inquinatas manus reportat, qui hos fucos, loculos exenteratos.

2.
Processus pro
auro.

Sunt, qui vendunt processus & libros de auro faciendo preciosissimos, quos vel precio, vel testamento, aut dono, si non raptu, acceperint, eosq; certissimos & infallibiles protestantur & iurant: at sibi non laborandos, vtpote præoccupatis aliis negociis, aut in ea arte non sat peritis, aliasve ob causas; atq; hi ad eundem finem tendunt, vt antedicti,

tediſti, nempe vt decipiant pro mercede, & dent nugas non caſſa nu-
ce æſtimâdas pro auro, quo quis agrum emeret: Proceſſus illi ſunt au-
thorum mendaciſſimorum vel ab ipsis facti, vel ab iis ſimilibus, ad e-
mungendos pecunia incautos inuenti: Procedunt in infinitum extra
veritatis ſemitam, quæ ſimplex eſt & vnica, nullis libris vel chartis ex-
preſſa ad literâ ſed ſemper tecta & veſtita palla multiplici, ne Actæon
aliquis ſuperueniat, aut Tantalus prodat linguæ garrulitate, aut Ixy-
on iactet mentis varitate: Quod ſi acciderit, aut nubes illi obiectas, ne
quid videat, aut poma Heſperidum ſubtracta, ne accipiat, vel capiti
beluina cornua annata, ne percipiat ſtupore mētis, animaduertimus:
Illorum fucorum *Recipe*, nihil aliud ſonat, quam *Decipe*, & doctrina le-
na, proceſſus artis proſtibulum eſt: quia illum prostituunt, vt de cor-
pore eius lucrum capiant: At quale eſt corpus? Succiplenum, naturale
& ſanum? Nullo modo, ſed vlceribus, fucis & ficis, venenoſoq; conta-
gio nō ſolum deforme, ſed & peſtiferum: hoc eſt, doctrina illa nil do-
cet, niſi damnum, nil ars niſi dolos, nil alchymia, niſi gemitus & ſtri-
dorem dentium. Apage igitur & procede in inuia ferarum cum tuo
proceſſu, ne hominibus inde lapſus, incautis fraus, imprudentibus
diſpendium contingat: Non Baſilifci oculi plus veneni de ſe iaciunt,
quam horum fucorum pernicioſi conatus: ab illis cæci tuti ſunt, ab
his, quo cæciores, eo magis infeſtantur: Noli me tangere vlcus eſt
cancroſum, quaſi inſanabile, quia quo magis curæ admittitur, eo mi-
nus perſanari creditur: Huic hoc malum à fucis eiſmodi inſlictum
aſſimilatur: quo magis enim tegas, eo melius: quo magis vulgo expo-
nas, eo deterius: At quid faciendum in hoc caſu, an poetæ conſilium
ſequendum, qui inquit:

—Sed enim immedicabile vulnus

Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur?

De hoc conſulant alij: Ego pro Noli me tangere video habendum,
donec Deus remedium ſuppeditarit: Volent iſti crabrones cum ſuis
proceſſibus, quo lubet, ſuperueniet aliquando tempeſtas illis inuiſa:
In Scarabæorum genere nullus eſſe ſexus dicitur, at ſinguli ex ſe fœ-
tus edere abſque alterius opera: Ita hi proceſſuum & librorum ven-
ditores ſæpenumero eos non à veris authoribus, ſed à ſeipſis aut ſui
ſimilibus factos producunt, & alteri obtrudunt: Hic quaſtus nunc
multis eſt longe vberimus: Vtque Scarabæi ex aſinis putrefactis &
crabro-

crabrones ex equis prodire scribuntur, ita illi fuci ex bruto genere orti nil nisi brutum vere sapientibus ostendunt.

3.
*Non factum
pro facto.*

*Natura que
rela.*

Alii, quod non fecerunt, pro facto instillant, hoc est, se tale quiddam expertum, cuius reuera expertes sint, exceptis dolis: Circumferunt auri grana, quæ fecerint, eaque incautis probanda dant quærentes, an non sit optimæ notæ aurum: At falsissime supponunt, licet iuramento, quod ipsi confecerint: Nisi aliunde impetrarint & pro suo aliena habeant, ex iis rebus tamen, in quibus natura vel impositione inerat, elicuerunt per artificium non magni momenti, veluti post patebit sub vltima nota, ubi nonnullos fucos ab illis experimentatos & vulgo nunc patefactos examinabimus: Hi nebulones hanc gratiam Naturæ matri rerum omnium referunt, vti sibi adsciscant & attribuant, quod illius est, vti quod illa creauit, pro suis operibus falsissime proclamant: quibus absque dubio NATURA, si modo silentia ruptura esset, in hunc modum respōderet: *An non sufficit tibi, suæ perditissime, quod furta, imposturas, periuria, calumnias indies contra hominum genus committas, idque modis omnibus fallas & circumuenias. Num lubet quoque plagiū in me intolerabile in actum ducere, dum aurum à me in terra visceribus excoctum tibi vendicas, pro tuo ostentas & ebuccinaris, atque sic meam genuinam sobolem tacite suffuraris, t. bique adoptas contra meum consensum & nutum, quod omni iure prohibitum est: Confiteor, quod ego Natura meas vires aque supra terram, quam in mineris subter exerere possim, exque imperfectis perfecta metalla producere: inferius mea sponte, superius artificis prudentis directione: At tu tuique similes ab artifice cuiusmodi, qualem ego requiro, tam procul abestis, quam Cælum à terra: Non ego te tuosque socios agnosco, sed pro inimicis meis omniumque bonorum habeo: Artifex verus mihi obstetricem manum in tempore porrigere nouit, atque ego ipsi fœtus vberrimos aureos, at tu sociique tui, fuci Pseudo-chymici, vim mihi iniuriosam facitis, quod ex stercore & simeto mea dona preciosissima eruere præsumitis, quod artem naturalem seu naturam artificialem, meam vicariam emulari, si diis placet, conamini, scilicet culices Elefantos: quod meis donis ad sanitatem & vtilitatem hominum concessis, innumeris modis abutimini: Satiū tibi foret, vt ad artificia à te hæcenus neglecta, seu opificia alia reuertaris, quam vt me perpetua labe, meique amantes aspergeres: stūa tibi aptior, quā stylus, caudex operosior, quam codex, latificatio aruorū decentior, quam ARS ARTIVM CHYMIA: In illis operationibus apertis mihi inferuias, non in his abditis, quæ captum tuum longe superant, intentum excedunt & conatum excludunt: Tantum Natura.*

Idem

Idem Pseudochymicus fucus hoc, quod nunquam sciuit, simulat se scire & perfecte cognitum habere: Si aruspex aruspiciem videat, mirum est si non rideat: multo magis si Pseudochymicus vnus alterum: quia hoc vnicum sciūt verum, quod nihil sciant, nisi mendacia, aut certe nihil: quod Socrati sapientissimo, sed longe alia mente ascribitur: In quo tamen Philosophico ænigmate Anaxagoram magis sequuntur, qui dicebat, se ne hoc quidem scire, quod nihil sciret: Hi enim aliter interpretantur, & hoc vnum videntur falsum ignorare, quod omnia vera ignorent: Quid enim illis cognitum præter incognita bonis omnibus, hoc est, vitia & mendacia? Quid illis minus familiare, quam quod his maxime, nempe veritas & virtus? Quod piscatores Homero quærenti, Quid cepissent, responderunt, hoc illi pessimi probis viris respondent, nempe quod non acquisuerunt; habent, hoc est, ignorantiam rerum arcanarum, & quod acquisuerunt, hoc est, opinionem de sua scientia, non habent: Inuerti equidem Apuleij mihi videntur: Ille sub asinina specie mentem hominis, hi sub humana asininam speciem tegunt, hoc est, scientiam homine dignissimam profitentur, cuius ne apicem intelligunt, & saltem duas illas primas literas in voce, Ajax, instar lapidis molaris, iterant: sciunt, quid velim: Insania illa est dementissima, ubi ignoratur: adhuc peior, si pro sapientia habeatur: Hinc illi Pseudochymici cum sint insipidi, stolidi & blitei, pro scientibus & sapientibus sese venditantes, insipientum sunt insipientissimi, digni, qui Anticyram mittantur & plaustris aliquot Ellebori perpurgentur, vt ad sese redeant, hoc est, ad pristina officia, dimissis tot scientiis & artibus, quas nunc in cerebro gestant, velut Iupiter Palladium foetum, vt Vulcani securim obstetricem cum illo, ceu Iunonem Lucinam, inuocare teneantur.

Imo somniant iidem Pseudochymici fuci, sese habuisse, quod nunquam illorum fuit: At si saltem de magna auri copia somniasent, certius locum, vbi abscondissent, notassent, vt ita somnium non somnium monstrassent: Nunc cum aliis persuadere conantur, sese fecisse lapidem vel aurum, & vtrumque possedisse, quia nulla nota super sit, vix illis fides adhibetur: Infelix verbum est, si de felicitàte quadam dicatur, habuisse vel possedisse, quia reficit memoriam eius, quod fuit, & iam non est: Sed his fucis respondeo, quod nunc plus auri possideant, quam ante, scilicet imaginatione de habendo, si hoc sit habere, quod speratur: Græca fides ab aliis male audit, quia nulla aut

D

vana:

4.
Non scitum
pro scito.

5.
Nō possessum
pro possesso.

vana: Vnde præfenti precio illis mercari saltem licebat, quæ est manu oculatarum fides, & Pseudochymicis optime conuenit, seu actiue seu passiue intelligendo: actiue, quia requirunt eam ab aliis, hoc est, precium præfens, passiue, quia merentur ab aliis, hoc est, vt præfent ante a promissa: De his in *Extrauagante Iohannis* dicitur: *Spondent, quas non exhibent opes, pauperes Alchymista*: Semper illis in ore, se habuisse, at iam non habere, & habituros, dummodo adessent media, quibus ad intentionem suam peruenirent: quibus querelis maximam ætatis suæ partem terunt, nihilo magis prosperantes post multorum annorum curriculum, quam prius: Ex vno enim aliud interuenit, vt noua spes semper effulgeat, qua sese aliosque reficiant, ita vt nunquam euentus optatis respondeat.

Verum, vt ante monui, oportet fucos ab apibus, & deceptores à bonæ voluntatis inquisitoribus artis discernere: Illi decipiunt volentes & promittunt illa, quæ ante se fecisse iurant, ideoque certum precium accipiunt, quo defraudant alios: Hi decipi possunt in suis opinionibus, vt plerumque fit, nec affirmant se fecisse, sed velle optimum effectum expectare, ideoque neminem defraudant volentes: Sæpenumero enim contingit, quod duo vel plures in hac arte operas suas coniungant, ex quibus vnus vel aliqui plus laborum, alii plus sumptuum sustineant, expectantes desideratum finem, qui si non sequatur, id imputandum voluntati diuinæ, quæ dat cui & quando vult, & subtrahit: Idem fecisse Raymundum Lullium, ipse in *experimentis suis vltimis* adfirmat: Alias regulare est, quemlibet propriis sumptibus & laboribus artem inuestigare debere, & si ex societate, tamen cum viro probo, qui diu in inquisitione eiusdem perdurarit, communicatis consiliis, operis & expensis: De quo Pseudochymici non sunt solliciti, dummodo se tali coniungant, cum quo Glauci & Diomedis permutationem instituant, accipientes aurea pro æreis & nugis suis indignissimis, & promittentes ipsi aureos montes pro precio non magno, quo ad promissa; at nimio, quo ad præstanda.

..

DE

DE TERTIA NOTA FVCI PSEVDO-
CHYMICI.

TERTIA nota fucorum Pseudochymicorum est, quod *malint videri, quam esse in rebus omnibus*, quas tractandas præsumunt: Id-
eo omnia sua ad *ostentationem* dirigunt, secreta simplicitatis prorsus
immemores: Huc spectant illorum vestes, si modo illas habeant, ut *I. ostentationi dediti.*
nonnunquam, famulatus, nisi & ille desit, aut plus nimio abundet,
utensilia omnia: si oculis ad primum intuitum satisfecerint, existi-
mant, se apud omnes gratiam & famam propter Chymiaæ arcana ad-
epturos: Atque hac ratione componunt se mundo, in quo plerique
degentes saltem ad externa, vestitum, gestum, pompam, colorem
& pulchritudinem respiciunt, negligentes interiora, an corpus sa-
num, an ingenium politum artibus & scientiis, an honestatis amans
& virtutis, an sit vir candidus, nil simulans aut dissimulans, an inge-
nuus mente, liberaliter educatus, moribus probis, & reliqua, quæ
hominis sunt propria: Nam omnia illa, in quæ nunc respectus apud
plurimos habetur, vix sunt dicenda illius, qui propter ea honora-
tur.

Quid vestitus pudoris tegumentum? factum superbiæ tecmirion:
quid gestus, index cordis? factus simulator eorum, quæ non, & dis-
simulator eorum, quæ sunt: Quid pompa? nil nisi tumbæ obliuio:
quid color & pulchritudo? saltem externa accidentia, quibus nil fi-
dei adhibendum, quia & oculos fallunt, quorum proprium est ob-
iectum, multo magis mentem & substantiam: Vultur odoratu ca-
pitur & animalia alia aliis sensibus: Homo facile oculis indulget, ex-
terno splendori intentus, & negligit, quæ hominis contemplatione
& discretionem digna essent: Vnde hoc poetæ:

Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet:

Ignorantia enim rerum efficit, ut miremur quædam non admiran-
da, nisi falsa imaginatione, & gaudeamus illis, quæ si scirem⁹, detestari
deberem⁹: Imo homo huic sensui ita blâdit⁹ addict⁹, ut etiâ si agnoscat
sceleratû, falsum, deformem, vitiis scatentē & fatuum reuera quo ad
mentē & corpus quendâ esse, tamen si videat ipsum vestibus, famulis,

D 2 gelli-

gestibus, equis superbum, insignitum, splendidum & turgidum, ipsi magis affurgat & ad nutum sit, quam homini, vili vestitu, doctrina, virtute & animi candore præstantissimo: Verum qui ita pendent ab oculis, & iudicium omne his ascribunt, ipsi sunt tales, qualis eorum censura, nempe non directi, iniusti & nequitiae potius, quam virtuti fauentes: Videmus, quomodo singuli opifices & qui vendunt suas res, fucum ament, omnia ad oculum componant, tanquam non decipere alium, sit desipere: aut simplici veritati studere, sit nescire, quid sit vivere & inescare homines: Nostri itaque Pseudochymistæ habent hoc commune cum mundanis & vanis, at non cum veritatis amantibus, ut omnia sua ad speciem magis componant, quam ad sinceram simplicitatem: imo plus ostentationi & totum tribuunt, parum & fere nihil veritati: Quid enim illis veritas, inimicissima & exosa omnibus, conferret? Nil nisi (ut Comicus ait) quod odium pareret & forte hospitio exueret: Ut umbra Solem nunquam vidit, at semper fugit conspectum eius, sic Pseudochymici veritatem, eiusque vultum & cultum longissime vitant.

2.
Ceremoniis
addicti.

Hinc *Ceremoniis addicti* sunt magis, quam rei. Voco *Ceremonias*: quæ ad præparationem spectant, & non ad rei essentiam: Multi ex illis putant, artem Chymicam sitam esse in magnificis Laboratoriis, instrumentis, furnis artificiosis & variis, vasis & eiusmodi aliis raræ inuentionis vel magni precii: Hinc circa illa sunt magis occupati, quam alia, arti propria, materialia & veras operationes: Quid si itaque quis in eiusmodi Laboratorium accedat, ubi tantum ceremoniarum adfuerit, ibi minimum essentiae de re quæsita latere arbitretur: Philosophi enim adfirmant ignem & furnum suum esse communem, non raræ inuentionis, sed in quo gradus caloris obseruari possit, nil præterea: Vas quoque vnum, ut & furnum sufficere & vnam materiam, imo & vnam coctionem clamant: Ad quæ igitur omnia ista? Non ad veritatem eruendam, quæ vnica est & simplex, sed ad errores ampliandos & propagandos, qui infiniti sunt, à falsitate, tanquam matre, orti, nutrice horum Pseudochymicorum: quemadmodum intemperantia hominum in rebus non naturalibus dictis medicorum nutricula dicitur.

Præter iam relata, nonnulli ex his ostentant alia, quæ vulgus admiretur & quibus veritatis sibi suspensionem concilient: Carbores magno cumulo congeri & reliqua utensilia omnia procurant: acinte

a.

argentum inauratum clanculum per emissitios socios coemunt, ex quo per quartationem aurum secernūt & argentum purum in longas stiuas seu digitos fundunt, idque clanculum, vt & aurum, monetariis vendunt pro suis, quærentes an sit bonum, & rogantes ne cuiquam aperiant: Hoc est, nomen sibi aucupari per noctuas alieni argenti & auri, quod vt magis confirmetur, cineritia, cupellas & alia ab artificibus aliis publice emunt: In summa, ita omnia sua negocia circa aurificiunt instituunt, vt cupiant videri & agnosci pro aurificibus, quales reuera non sunt, & ne habeantur pro deceptoribus & nebulonibus, quales sunt: Quod si verus artifex eiusmodi particulariter vel vniuersaliter conficere sciret, ille celaret omnia ista, vtpote celanda, ne vel minimum innotesceret alteri: propterea quod sua arte contentus viuere posset, absque aliorum inuidia aut inspectione, quid ageret: Ægyptij antiquissimi hac arte gaudentes prohibuerant omnes aduenas toto suo regno florentissimo, etsi qui contra mandatum regium aduenissent, vt Busiridis & aliorum regum tempore, illi cum ignominia deportabantur ex finibus regni, aut perpetuis carceribus tradebantur: cuius rei causa fuit, quod suis bonis essent contenti & opibus, & quod aduenæ plus diuitiarum ex regno euehere, quam inuehere possent: quod & factum postea, vt & Græci arte Ægyptia occultissima, Orpheo authore, veluti & religione fruerentur, & post hos alii, ad nostram ætatem vsque: Noluerunt videri, sed esse potius Ægyptij, sic & omnes artifices veri: Pseudochymici contra.

Inter alias proprietates Chymici legitimi est, quod virtutibus se dedat, quantum homini possibile est, & a vitiis deterrimis abhorreat: Pseudochymici magis his, quam illis mancipati vitam degunt: Impossibile enim est, vt scientia diuina & abditissima in omnium vitiorum cloacam à Deo proficiatur, aut in animam pessimæ voluntatis & duræ cervicis propagetur: cum illis sit ita contraria, vt lux tenebris & cælum inferno: Aut enim vt D. Thomas loquitur, hominem piū inuenit aut facit: non quasi existimandum sit, sanctos fuisse omnes Chymicos, aut tales sibi videri, qui ad veritatem adspirent, quorum est ingens numerus, sed quod annitendum ipsis, vt sint viri probi & honesti publice & priuatim, bonæ voluntatis & conscientia, hoc est, vt non fictum sed verum animum habeant arte adipiscenda se neutiquam abusu in Dei aut proximi præiudicium.

D 3.

Quæ.

Quæ vero sint vitia notoria Pseudochymicorum, quilibet discretus arbiter ipse iudicabit: *Luxuria, Veneris & Bacchi progenies* illis raro abest, ut taceam reliqua enormia illorum vitia.

4.
*Mendacis
gaudentes.*

Inter quæ non est minimum, *mendacis gaudere*, iactantia efferri propriæ fortis & alienæ detrectatione: Hæc triga vitiorum, tanquam Hydra multorum est capitum, quorum si quædam refecentur, mox alia & plura, illorum vice, renascuntur, hoc est, mater & propagatrix est multorum aliorum grauissimorum malorum: Nec solum mendacia ab aliis hausta in suum usum transfert, sed & ipse noua fingit mentiando, ex sese fabricando de aliis, de suis rebus & factis, quæ fecerit, dixerit, legerit, viderit, audiuerit, habuerit, amiserit & facturum sit: Componere & diuidere res, illius est proprium, hoc est, ut iungat non iungenda, audita pro visis, visa pro factis ac possessis suis pronunciet, & sic de reliquis: Si quid subtile inuentu, pulcrum factu, utile usu fuerit, id omne sibi ascribit, & ut suum effert, ut ita alieno labore partam gloriam verbis iactabundis sibi addicat, falsarius tam lingua, quam corde, deceptor tam ventis, quam factis: mendax tam vultu, quam manu: Interim de doctis & probis viris censoriam sententiam clam dicit, & de eorum scientia & peritia calculum nigellum iacit, idque ideo ut ipse solus videatur sapere, & reliqui volitare, sicut umbræ: ut ipse sit Hermes, Geber & Raimundus, quorum ne apicem primæ literæ, nedum opera profundæ scientiæ plena, callet.

DE QUARTA NOTA FUCI PSEUDOCHYMICI.

SEQUITUR quarta eorum nota, quæ magis vulgo conspicua est & detestanda, dum nimirum *artis suæ specimen credulo spectatori, à quo premium expectant, facere promittunt*: Hæc sola à multis annotatur & in opprobrium Chymicæ omnibus triuiis proclamatur, tanquam à tota Chymicorum cohorte nil nisi doli, imposturæ & deceptiones tractarentur: Hinc si vnum noueris, dicunt, omnes noueris: Atque concludunt, non per artem posse fieri aut vnquam factum esse aurum, nisi viis commentitiis & fictitiis: Verum qui ita iudicant, ut in
initio

initio huius libri quoque protestati sumus, confundunt artem veram cum eius abusu, artifices legitimos cum nebulonibus pessimis: quod si contingat quoque in aliis artibus & scientiis, aut rerum quarumcunque ætimationibus, homo à beluina natura nihil differret, imo longe peius, quam brutum de bonorum & malorum discrimine iudicaret: Leo benefactorem seruum agnouit præ reliquis, quos occidit eo in vita seruato & culto: Canis herum & domesticos à fure & latrone discernit hos apprehendendo dentibus, illis cauda abblandiendo.

Qui itaque fucos Pseudochymicos, à quibus læsus ipse vel alij, aut lædi possit, non distinguit à veris artificibus, qui neminem lædunt, indignus videtur, vt iudicium ferat de aliis, cum potius ab aliis coarguendus sit.

At causa, cur omnes aliæ scientiæ & artes cum suis artificibus facile distinguantur à suis abusibus, hinc dependet, quod earum artifices sint omnibus noti & in fine artis possessio celebres: Chymia contra, qui nec agnosci desiderant, nec finem suæ scientiæ ostentant aliis, sed manent apud sese, etiam gaudentes Chymiam quasi impossibilem ab omnibus passim male audire: Vnde vera Chymia, quæ multis bene facit, ab omnibus tamen, vt orphana, relinquitur, & quicquid delirant Pseudochymici, ipsa plectitur, tanquam Ilias malorum: Verum Caninae sunt naturæ, qui ita iudicant de Virgine innocentissima, Chymia vera, dum eam non solum maledicis Sarcasmiss proscindunt & conuellant, sed si quid damni à Pseudochymicis cuiquam illatum sit, illi ascribant, tanquam omisso iactore, lapidem, quo petiti sint, mordeant, quod si faciant ex animi impotentia aut ignorantia, illis, vt & brutis condonandum est: si ex præiudicio & scientia, ipsos, tanquam Pyrgopolynices alteros, ad symbola Auræ Mentæ nostræ inuitamus, cuius si spectatores fuerint, absque dubio de concepto furore multum remittent & mitiores affectus induent.

Nunc vt hanc quartam fucorum Pseudochymicorum notam omnibus attestatam faciam, producturus sum ex aliorum obseruatione varias imposturas, dolos & fraudes, quibus Pseudochymici aliquando vti sint, aut imposterum vti possent, veluti quidam Cunradus in Germanico tractatu eiusmodi congeffit, cuius
verba

1. *Impostura
species.*

verba pleraque translata sit ponemus: Care amice, inquit, monitis meis fidelibus morem geras: Si ad te aduolauerit Heliocantharus aliquis, qui dicat se posse & velle te docere artem faciendi argentum & aurum, ne cui libet fidem adhibeas: Nam non est ars tam facilis, veluti quis somniare posset: Quod si promiserit, se aurificii sui probam tibi præstiturum, qua veritatem videas, potes eum admittere, verum ut id faciat suis propriis sumptibus: At ne illi fidas amplius, quam ipse videas: Respice in eius fociorumque manus, furnos, instrumenta, organa, materialia & species, quibus usus est. Ne multum eius iactantiam & magnifica verba (quæ optime nouerunt) aut quorundam fastum & superbum vestitum (qui apud multos cautione non eget) cures aut aestimes: Si quoque iuravit, Deumque testem vocavit erectis digitis, ne propterea solum ipsi confidas: Nam qui omnem honestatem floccipendit, audet quoque aliud quid facere: Examina & proba per bilancem, aquam, ignem, plumbum, quartationem & antimonio diligentissime omne id, etiam exiguum, quicquid sit, quo utitur, siue sit puluis, aqua, oleum, liquores, metalla, utpote argentum, cuprum, plumbum, &c. an aurum & argentum & quantum contineant: Imo etiam ligneas virgulas, quibus opus in liquefaciendo, aut per cupellam separando, miscebit circummouendo: Nam illa ipsa aliquando aqua acris solutionis argenti vel auri imbuta fuerunt, ut ex earum combustionem & cineris reductione non semel cognitum sit, eiusmodi virgas argentum & aurum in se abscondisse: Hæc dictus Cunnardus.

Verum meo iudicio etiam si omnis diligentia adhibeatur ab alio, ut versutia & impostura Pseudo-chymici notetur, tamen cum sit mala mens, malusque animus in homine nequam, qui mille vias alteri incognitas nouit, quibus decipiat absque vlla suspitione doli, tutius esset nil tentare cum eo, qui aurum vel argentum pro precio facere vel artem eorum faciendorum quocunque modo profiteatur: Nam etiam si non obferat alteri, se quicquam præstiturum, tamen confiteatur se scire vel posse facere vel tantillum argenti vel auri cum damno vel sine utilitate, satis sit tibi, quisquis illi aures præbiturus es, ipsum esse deceptorem: Causa hæc est, quia si tale quid nouerit cum nulla utilitate sed potius damno, nihilominus existimat, si aperiat alteri, possibilitatem artis inde conspici, & alium id ipsum scire desideraturum pro magno precio, qui forte maiori cum lucro eo frui se posse speraret: si autem id nouerit cum quadam utilitate, non opus habet, ut id aperiat alteri, quasunque causas prætendat: Omnes illæ sunt vanissimæ & ad decipiendum homines astute compositæ.

Eiusmo-

Eiusmodi nebulo (cui non fœnum, sed gramen in cornu est, id-
 eoque cauendo, à gramine denominato) ante aliquot annos in ce-
 lebriores vrbes, vbi permulti essent Chymia amantes, se contulit, &
 inquisiuit apud eos, anne quis esset, qui sciret ex marca, hoc est, octo
 vnciis argenti, plures, quam duas vncias auri, post solutionem in a-
 qua gradatiua, educere: se hoc quidem scire, sed appetere maius lu-
 crum, cum cognitum habeat, totum argentum artificio à quibusdam
 in aurum per aquas gradatiuas reduci posse: Quisquis huic menda-
 cissimo deceptori fidem adhibuit, tanquam tale quid sciret (quam
 eo facilius obtinuit, quia vestitu ornatissimus & auro torquatus ap-
 paruit) licet ipse non magnificare videretur, pro satis magno Dei do-
 no agnouit, atque sic forte occasionem deceptori præbuit, vt tantum
 prima vice ab eo addisceret, dato precio eximio: quibus postea truf-
 fis in hoc & aliis vsus sit, permultis, à quibus id habeo, innotuit: Hæc
 sane astutia tanta est, vt vel prudentissimum circumueniret, quam-
 primum talia verba ab eo prolata pro veris acciperet: Vnde consul-
 tius est, hisce sirenibus nec aures, nec eorum dictis fidem præbere,
 quamprimum profiteantur, se tale quid scire, vel facere posse: Nam
 illorum iactatio est quasi aucupis fistula, quæ decipit volucrem,
 quæcunque aduolauerit & suauitatem eius admirata fuerit.

Quæ à me dicta, non ita intelligi debent, quasi impossibile sit, per ar-
 tem argentum vel aurum fieri posse, (de hac enim quæstione hic non
 agit) sed quod fides homini incognito, qui forte dolos in animo ver-
 satur, ea de causa, quod ille hanc artem se noscere dicat & aperte pro-
 fiteatur, deneganda sit: Alias esse particularia quædam transmuta-
 tionum opera, experimentis multorum constat, præter magnam il-
 lam & vniuersalem morborum in homine & metallis curandorum
 medicinam: Deinde argentum & aurum in aliis metallis naturaliter
 existere, atque inde educi posse per media quædam & aquas separa-
 torias, negari non potest: Vt taceam aurum illud volatile, seu tinctu-
 ram auri volatilem, quæ ex mineralibus argento inducitur, sed igne
 fugatur iterum, atque alia opera ad visum apparentia, quæ Pseudo-
 chymici astute producere nouerunt.

Idem (gramine notatus) deceptor aliis pro magno secreto dedit
 vitriolum album per solutionem in aqua & coagulationem in trian-
 gulares rhombos, instar adamantum, redactum: nec non similes nu-
 gas rubinorum instar splendentium, per affricationem cotis in figu-
 ras

E

ras

2.
Impostura.

3.

ras decentes concinnatas: atque hæc duo pro philosophici operis partibus, mare rubeo & fœmina alba vendidit.

4. Idem granatos, lapillos naturales, accepit, qui sua natura aliquantulum auri abscondunt, ac igne indomabiles existunt, eosq; quibusdam pro tinctura, quam accepto precio promiserat, obtulit: Hi in igne tenuerunt absq; fructu aut mutatione, donec imposturam animaduernerint.

5. Aliis idem nebulo vendidit mineram naturalem argenti sanguineam, *Rodgilsdig* dictam, pro arcano Philosophico magna pecuniæ summa, quam obtinuit, & quod ad perfectionem vltimam nondum perductum esset, quia argenti aliquantum saltem tingeret, asseruit.

6. Idem cum Zinkio & aliis sibi notis fucis cuprum albefecit, idque artificium cuidam aperuit magnati, qui nummos inde cudi curauit, quos hic nebulo acceptos aliis argenteis mutauit, & hos secum in patriam transportauit: cæteri militibus in Sarmatiæ ora distributi dicuntur.

Talibus fucis locus in aere solitarius, non apud honestos homines relinquendus esset, ne titulos hæcenus honeste habitos dehonestarent, ne artem sacram pessime audire cogerent, verosq; artifices, quasi sui non dissimiles vulgi ludibrio exponerent, nec incautos suis opib⁹ & fortunis impune depopularentur & exuerent: Cætera eius facinora volentes præteribimus, & ex Cunradio cautiones alias subiungemus.

7. Diligenter inspicere, inquit ille, an etiam chartæ, quibus materialia inuoluta sunt, quæ adhibentur probationi minima per capellam instituendæ, perscriptæ aut alias maculis notatæ sint: Nam experientia cognitum est, quod literarum elementa cum argento per sulfur calcinato & denigrato, aut calce auri ex aqua forti relictæ, inspersæ & quasi exiccata fuerint.

8. Imo, quod & atramentum ipsum eiusmodi solutionibus argenti & auri præparatum extiterit.

9. Interdum etiam papyrus iisdem imbuta & imbibita inuenta sit.

Hæc sanè etsi non magni momenti videantur, nec precij, tamen in paruo docimastico pondere (vbi drachma communis exæquat centum libras docimasticas, vt granum vnum fere duabus libris proportionaliter respondeat) plurimum conficere poterunt: Idcirco circumpectio his in primis necessaria est: Quis vnquam credidisset in tam minutis operculis aliquid doli latere posse, nisi experientia & temporis filia id verum demonstrasset: Vilissimam artem esse dicunt Germani,

prouer-

proverbio, quæ non suspendio dignas fraudes tegere possit: Id inprimis de hoc Pseudochymicorum artificio dicendum, quod per se vile, attamen stigmate aut Samia litera, si non Græca illa perpendiculari duplici connexa dignissimum est.

Addit idem author, pulveres carbonum aqua solutionis auri imbibitorum, materialibus in tigillo superfusos, ut descensus quasi fiat, multum ad hanc rem facere. 10.

Tigillos quoque liquefactioni metallorum inservientes cum duplici fundo, superiori tenui, inferiori crasso, intra quos aurum recondatur, cum instrumento ferreo perforato superiori, ut aurum profluat, eiusmodi deceptores sciunt preparare & visibus suis accommodare. 11.

Inprimis tigilli aliquoties aqua solutionis argenti macerati & exiccandi, cupro, quod in illis liquefit, multum argenti ingerunt. Hæc fuit Iudæi cuiusdam subtilissima impostura: Suadet itaque, ut aliunde emtis & allatis tigillis utendum sit, aut pulverisatorum eius tigillorum acutissima probatio fiat, ut decet, explorando, an etiam quid metalli contineant: Quod dicitur, venter ingenii largitor Pittacus docuit suum χαίρε, id verissimum apparet in his dolosis inventionibus Pseudochymicorum, qui ut gulæ suæ consulant, omnes illicitas percontantur vias, & modos ineunt subtilissimos, ne quid intentatum relinquant: verum si id fieret absque alterius detrimento, laudandum foret, cum vero contra, furto non ab simile habetur: In fures apertos iura satis sunt rigida & recta, in eiusmodi secretos nimis lenta & leuicula. 12.

Alius quidam furno liquefactionis cannulam ferream aut cupream, cui pulverem auri indiderat, tectè ita applicavit, ut à nullo posset conspici. Deinde materialia quadam in tigillo sub illa cannula posuit, circumpositis carbonibus, quibus incensis aurum in tigillum ex cannula profluxisse debuit, nisi dolus praeventus fuisset. 13.

Carbones illos maiores, quibus ille in liquefaciendo tigillum superne tegit: optime circumspice, ne habeant foramina & excavati aurum recondant, quod ex ignitis in tigillum defluat. 14.

Lustra quoque, ne virgula illa ferrea, qua vertit materialia in tigillo, excavata, auro sit repleta. 15.

Haftenus deceptiones illæ quæ circa communia instrumenta & utensilia committi possunt, abscondendo in illis aurum vel argentum, à dicto authore expositæ sunt, quatenus illæ usu observari vel ratione præcaveri possunt: Verum cum innumeri sint falsitatis modi, nec circumspectis quibusvis satis præcogniti, non est dubium, quin circa eadem longe plures à Pseudochymicis doli in dies inveniatur, quorum formas inquirere, non

esse operæ precium existimamus: Nunc materialia ipsa examinemus ex dicti authoris præscripto.

16. Plumbum, inquit, cui aliquid argenti vel auri liquefactione immixtum fuerat, ipsis quoque vsui fuit, vel granulatum, vel in globulis constitutum, quod penes se habens adhibuit pro alio liquefactioni vel examinationi per cupellam.
17. Alius adhuc dolus innotuit de latone argenteo in hunc modum: Impostor latonem vulgarem adferri curat, quam in frustula exigua scindit: Interim habet apud se argentum tinctum colore latonis (quod optime facere nouit) itidem in frustula concisum, quod mutat pro altero & latonem veram in sacculum suum abdit, aliam argenteam miscet cum sophisticis suis materiis, & ad cementationis & liquefactionis ignem ponit, ac post separans per cineritium inuenit argentum ex latone factum.
18. Puluis quoque vulpinus, vti vocabatur, in quo calx subnigra solutionis auri admixta fuerat, quem deceptor ille in pharmacopolium tradiderat, atque hinc singulis vicibus aliquantulum emerat, optimas probas præstitit: qui cum non debito modo probaretur, eo magni viri quoque nimis creduli decipiebantur.
19. Sæpe numero amalgamata Saturni aut Iouis, quæ in ignem poni debuerunt, dum exiccarentur (post lotionem cum sale & aceto) permutata fuerunt in linteo & eorum vice amalgamata Solis vel Lune posita, quæ in linteæ parte extrema parata habuit.
20. Similia quoque vitra cum amalgamationibus Saturni aut Iouis permutare nouit Pseudochymicus cum aliis vitris amalgamationum Solis & Lune, quæ postea extracta sunt.
21. In eleuatione tigillorum ex igne, cum eos apprehendit, potest ex cauo manus quid argenti vel auri insensibiliter inicere, veluti gesticulatores nuce muscata perpetrare solent.
22. Item cannula sub manica latens limatura auri repleta hisce nebulonibus (salua reuerentia) sæpe ex vsu fuit: Si Imperator ille Romanus fumum vendentem fumum pati non tam seuerè, quam iuste voluit, quid his fumivendulis & ex raptu viuentibus pro talione imposuisset? an non pro præmio pœnam, pro dolis fustes aut fines communicasset? Dura lex Spartanorum videbatur, vt ille qui nouas leges introducturus esset, id faceret coram populo, ceruice laqueo cincta: quas si probasset vtilis, dimittebatur, sin minus, suspendebatur: Si hæc probationibus Pseudochymicorum ex edicto summi magistratus adhiberetur,

retur, absq; dubio non tanta licentia illi nouos indies dolos aut modos falsos aurificii introducturi essent: At veluti apud Ægyptios antiquitus furta fuere licita ac saltem animaduvertebatur in fures facto ipso deprehensos propter artis imperitiam, sic quoque hoc tempore fraudes huiusmodi licet non sint licitæ, tamen haud puniuntur, nisi cum authores iis haud dextre vtantur.

Solent quoque hi Scarabæi non saltem arti Chymicæ iniuriam & contemptum inferre, sed quoque ipsi naturæ metallicæ & Chymicæ naturali, dum à furnis ad fodinas metallicas suas imposturas propagant in hunc modum: Argentum & aurum in acribus aquis solutum in cuniculos & venas mineralium infundunt. 23.

Sic granulatum argentum vel aurum ex bombarda in meatus venarum mineralium emissum, vt illis locis adhæreat, venas vberes & mineras dites ostendit. 24.

Quin aurum in puluerem vel fistucas redactum arenariorum decurrentium immixtum, limum eum auriferum reddidit. 25.

Sapissime quoq; accidit, quod pulueribus sophisticis suis argenti vel auri calcem impudentissime immiscuerint. 26.

Item antimonium cum auro fusum, puluerisatum (cum extrinsecus nulla sit differentia) loco antimonii vulgaris puluerisati permutatione facta pessime vsurparunt. 27.

Intentus quoque sis ad lagopodem seu peniculum, quo (post probam sui pulueris, qui nec argentum nec aurum continet, factam) reliquum puluerem conuerunt, ne calx argenti nigrior, vel auripurpurea intra pilos illos abscondatur, & in puluerem tale nihil continentem incidat. 28.

Ad hanc impudentiam hi nebulones prouecti sunt, vt quidam eius societatis clauos dimidia parte aureos, altera ferreos ferruminari curarit, auream partem artificiose nigrefecit, vt ferro par videretur: ac deinde eandem in aquam rubeam ad hoc intentum preparatam (affirmans hunc colorem esse perfectæ tincturæ in ea solutæ) quæ nigredinem absterfit & monstrauit auri colorem: Post asseruit, clauum ferreum vi operatiua sua tincturæ in aurum fuisse eo vsque transmutatam. Huc vsque Cunradus. 29.

Quæ verba à veritate vix puto esse aliena: Etsi enim fieri posset, vt ille deceptor, cuius author ille meminit, habuerit particulam tincturæ veræ, aliunde per fas & nefas (vt vulgo dicitur & facile creditur ex multis circumstantiis) impetratæ, cuius beneficio ferrum in aurum seu clauos sui parte dimidia aureos transmutare poruerit, tamen illi operationi dolam subfuisse non dubito: Clauum e-

E 3 iusmodi

iussimodi in manibus propriis habui, qui Florentiæ in magni Ducis gazophylacio seruatur cum ea inscriptione, quod ea transmutatio facta sit in præsentia ipsius Papæ & Ducis Florentini per aquam rubeam, cui clauus ferreus immerfus sit: Causa hæc est, quod eiusmodi mutatio si à tinctura perfecta fiat, nullo modo per aquæ formam fieri possit, qua ferrum ignitum extinguatur, antequam tinctura ingrediat, & operationem suam perficiat; quæ operatio non potest fieri absque magna ignitione ferri & diutina detentione in eodem, donec segregetur impurum à puro: Ad hæc clauus ille, quem ego vidi, nihil vel parum differebat in auri crassitie, quam habuerat ferrea pars: Vnde dolus facile colligitur: Quod si quoque clauus ille ponderaretur contra clauum ferreum eiusdem magnitudinis exacte, tum inueniretur, quod ille clauus longe ponderosior esset, quam totus ferreus, quia aurum duplo ferro ponderosius est: Sunt qui hunc clauum inter chymica miracula extollant, sed si author ille consideretur, eiusque res gestæ & reliquæ circumstantiæ, patebit, cui parti adiungendus sit: Arbitror, quod horum, de quibus hic mentio fit, coryphæus & antesignanus fuerit, nisi vulgi opinio & publica fama me fallit: Aurifabri opera necessum est consolidationes auri & ferri, fieri debere, qua ille opifex non indiguit, quia ipse, ne quis resciret, hoc præstare potuit: alteri res non successisset.

De cultro semimutato similiter in aurum à quodam monacho in Anglia primis Elisabethæ reginæ annis, mihi pro certo relatū est: Verum ille absq; dubio puluere aurifico insperso maximis ignibus illam partem exposuit, donec heterogeneæ partes ab argento viuo essent separatae, ac homogeneæ mercuriales coissent condensatae in vnâ substantiam solidam, quod absq; fluxione fieri non potuit: Verum fluxio metallica, præsertim ferri, in aqua vel oleo impossibilis est.

Ex quibus constat, clauum illum, cum nec fluxisset illa parte, nec substantiæ crassitiem, nec figuram quadrangularem (fuit enim versus acutiorem partem aureus) mutasset, saltem sophisticis imposturis fuisse confectum, præsertim cū artifex ille (vt in innumeris aliis) hoc facile, cum voluerit, perpetrare potuerit, cum id gratis & quasi in honorem illorum principum fecisse dicatur: Vnde nemo illum ita perscrutatus est de dolo, vt alias fieri debuisset.

30.

Si habent (inquit Cunradius) prout dicunt , præcipitatum mercurii vulgi,

vulgi,, bene respicias, ne sit precipitatus solis, & quid pro quo substituatur.

Quod si Pseudochymicus sua tinctura prae-supposita in argentum viuum pro-
iectionem facere conetur, sis intentus ne agilitate manus quid auri in-
gerat.

Antehac non semel saltem contigit, quod loco puri argenti viui, amalgama
Solis vel Lune in tigillo fuerit: & argento viuo euaporante, argentum vel aurum
in fundo remanserit: atq; hoc transmutari vocitatum fuit.

Rubeum liquorem antimonii & auri diligentissime proba, quantum auri teneat,
nisi velis hac ratione decipi: si per communem probationem id certo experi-
mentari nequeas, ita vt aurum volatile redditum ei admixtum esset, tum ani-
mam Saturni adde & procede, veluti consuetum est, sic bene incorporabis.

Argentum, quod fuit inauratum, denuo fusum, aut alias in fluxione cum au-
ro mixtum vice argenti fini vsurpare nouerunt: quia ad probas auri maxime
facit.

Optimas quoq; argenti probas ex Venere soluta in aqua forti, qua argenti ali-
quid prius solutum fuit, conficiunt.

Aurum finum (quod nonnulli facile albescere norunt) dealbatum, dat in
pondere, coticula, graphio, coloritio & quartatione bonam lunam fixam, cui per
plumbum commune, gradatuum aut cementum, dealbatione fugata, optima
graduatio accedit.

Nonnunquam adueniunt cum artificiali, malleabili, metallico & pellucido ar-
gento, quod scindi potest: Vix centesimus agnoscit (nec Pseudochymicus id fate-
tur) quod sit artificiosum, instar cornu pellucens argentum: Hoc, veluti qui-
dam adfirmant, Venerem facile fluxibilem, & dealbationes duras, si cum illis in
fluxione aliquamdiu stet, malleabiles & argentiferas facere poterit: Imbibe hoc
metallicum vitrum in Saturnum, & per cineritium separa, & videbis quomo-
do se res ea habebit.

Quibusdam quoque hoc corneum argentum pro tinctura alba habitum est, in-
tellige, ad Saturnum supra Cupellam in Lunam transmutandum, hoc modo:
Tincturam hanc permiscebant Saturno, qui euanescebat, argento remanente fi-
ni: nihilominus transmutatio dicebatur Saturni in Lunam:

Aurum quoque Vngaricum admixtum particulae plumbi, pallidioris coloris
redditur: Deinde per cementum plumbo separato, redit in Vngaricum aurum:
atque hoc illis vocatur, aurum Rhenanum in Vngaricum transmutare: simplici-
ores quidam hoc decepti sunt. Verum satis notum est, aurum Rhenanum
habere admixtam aliquam quantitatem argenti, unde coloris est inter

aureum

aureum & argentum: si iam per cementum regale argentum separatur, remanebit aurum purum: Et facile fuerit ex Rhenano auro Vngaricum fecisse, sed cum amissione pristini ponderis: quia argentum remanet in cemento, vt & plumbum, stannum & cuprum, solo auro non tacto: Vnde non opus est, vt plumbum admisceant auro Vngarico, & sic quasi faciant falsum Rhenanum aurum, quia ipsum, quod verum est, vt sunt aurei Rhenani, eodem cemento hac ratione fiunt aurum Vngaricum vel finum.

40. Pergir Cunradius: Calcinatum aurum mixtum cum bolo seu terra rubea, ipsis est terra Adamica, ex qua faciunt deinde aurum.

41. Pyrites in acri aqua, in qua argentum vel aurum sit solutum, imbibita & exiccata, donec virescat, venam auream in fodinis ipsis praealat.

42. Argentum viuum (imo cum argento vel auro amalgamatum) facillime in optimum argentum vel aurum coagulare sciunt.

43. Lunam in solem quoque tingunt suis sophisticis imposturis in fluxu: Cum vero sit separatio per cineritium, tum Saturnus ipsi vestem flauam exuit & in quartatione videtur, quod illud corpus saltem luna sit: Et sic est saltem tinctura coloris, non fixitatis.

44. Aurum in super graduatione cum Venere eo vsque exaltant, vt Veneri in colore correspondeat: Limaturam huius soluunt in aqua non nimis acri ad dimidiam partem leniter (idque apud ipsos est animam Veneris extrahere) ac huius argentum imponunt ad soluendum, à quo deinde separant aurum: Postea dicunt, quod possint per animam Veneris ex argento aurum facere: De huiusmodi sophisticatione, iam ante meminimus sub 2. n. Hoc enim medio grassator ille graminæus vsus est.

45. Preparatur quoque tam argentum, quam aurum, vt sit in igne omnino volatile: quo probare nititur, suos pulueres nihil argenti nec auri continere, cum in fundo nulla corporalis substantia remaneat: Quis iam existimaret, eius relationem non esse verissimam? Audi, quid facias: si tale quid tibi offeratur: Imbibe id ipsum anima Saturni & misce cum celeri fluxu (ex tartaro & sale petraeana, ante incensis) deinde in plumbum mittas liquefactum vel argentum, & non aufragiet: Tum procede, vt consuetum est, & experieris, quomodo hac auri vel argenti productio se habeat.

46. Ex nummis, grossis & taleris, auro obductis, argentum cementatione educitur, ita vt figuram externam retineant: at ita hoc perficitur, vt vix sit operæ precium: licet per se sit subtile artificium absque utilitate.

47. Quantum doli & deceptionis contigerit & adhuc contingat cum eo, per se bono, ar-

no, artificio, quod ex auro substantia purissima & aureitas, salis, sulfuris & Mercurii Solis simul extrahatur, & in exiguam portionem reducatur in forma pulueris, atque is pro Lapide philosophorum, aut alia tinctura vtili habeatur, inque tantum argenti, quantum fuit auri, ex quo extrahebatur, proiciatur, & ita Luna in Solem tingatur, vbique fere satis notum est: Cum vero id sit absque vtilitate, imo etiam cum damno & expensis fiat, eo magis quilibet ab eo sibi cauebit.

Hæc extractio sulfuris ex auro, vt Cunradius asserit, est quidem absque vlla vtilitate, nihilominus artificium non ignobile habetur, nisi deceptores eo abutantur: Nam demonstrat hæc extractio & proiectio, artis possibilitatem, nec non chymix verum finem, quod cum principiis & mediis seu præceptis optime conueniat: Nisi enim color ab auro separari posset, tum nec ex argento viuo vulgi seu metallico Saturni, Iouis aut Lunæ, cum tinctura per fusionem mixto posset fieri compositum auri, & e contra, nisi hæc compositio ex illis duobus fieret, nec separatio eiusmodi contingeret: Verum si alius, quam verus artifex, inciderit in tale artificium, ostentationis gratia facit proiectiones cum eo, & iactabit esse eam veram tincturam, seque posse & scire eam conficere, quemadmodum eiusmodi exempla quamplurima sese offerunt.

Cornelius Agrippa testatur alicubi, se potuisse ex auro hunc subtilem spiritum extrahere: Interim qualis vir hic fuerit, ex eius epistolis apparet, nempe egestate obrutus & obætatus, cui hoc artificium, si id sciuerit, nihil profuerit.

Similiter Scotus ille Italicus (vt vocant) comes hoc optime nouit, fecitque Gedani cum eo proiectiones, ipse asserens, quod absque vtilitate esset: Atque hic ipse Scotus Imperatori significauit Kellei illius Angli tincturam, nihil esse aliud, quam ex auro detractum colorem, dixitque, vt de eo certior fieret Cæsar, quod deberet ab ipso Kelleo flagitare non vnus vnciæ transmutationem in aurum, sed multarum librarum siue centenarum, quod non difficile ipsi futurum esset, si foret eius tinctura vera: sin minus, seu si ex auro esset educta vel educenda, omnino impossibile: quia tantum auri non haberet, vnde tantum tincturæ extraheret: Hoc mihi à fide digno viro, tum temporis ex Anglia Reginæ nomine, legato eo missio, narratum est, qui ab ipso Scoto audiuerat: Hic addidit, Cæsarem ex Scoti monitu hoc desiderasse ab Anglo, atque hunc in se id recepissee, sed nunquam effe-

F

ctum

etum dare potuisse. Quæ si ita sint, siue non, perinde est: Scio enim multos aliter æstimare.

Verum hætenus dictis duo consentiunt, quod idem à principe eius loci magnam pecuniæ summam receperit, ex qua quædam præstitit, quæ Anglis mirifica videbantur, hoc est, ex proiectionibus factis (quarum adhuc effectus, nempe aurum aliquot vnciarum Pragæ extare dicitur) præter modum liberalis fuit: unde fama eius innotuerit longe lateque: At bonis illius infiscatis, nihil reliquum remansit: si habuit quid præter ex auro detractum colorem, cur non sibi vixit & vitauit loca sublimia, unde præceps & vita & fama caderet? Verum cum illo artificio extractionis sulfuris auri & proiectionis eiusdē in metalla comparauit sibi apud illum principem gratiam & nomen, imo pecuniam & bona: quibus omnibus non indignisset, nisi esset stultus & abiectissimi iudicij homo, si veram tincturam habuisset.

Ad hæc, quod ex auro argentum viuum eduxerit ex Casaris postulatis, id constat, vt Penotus totam illam historiam (*in præfatione libri mercurialium aquarum*) annotat, quæ contigit illo Pragæ morante: vbi tum sulfur auri manserit: id non exprimitur.

Ex quibus patet, illam tincturam fuisse ex auro eductam, & propterea nec ipsi, nec ipsius hæredibus, fructuosam, imo potius damnosam & inutilem: Eiusmodi plures fuisse possessores tincturæ ex auro detractæ credibile est, nempe plerosq; tales, qui plus famæ, quam rei familiaris inde contraxerint, imo plus interdum infamiæ, quam honoris, cum detestandum Pseudochymicorum nomen haud subterfugerint, idq; deceptionibus notissimis in variis locis meruerint, quales traduntur fuisse Bragadinus, Keuenhillerus, Iustenhouerus & nostro tempore Scotus ille V Vyllebij, qui suis proiectionibus toti fere Europæ se iactabundum ostendit, nihilque differentem ab aliis ante declaratis, effectibus & euentibus eius haud bonis quamplurimis attestantibus.

48. Cunradius inter alia quoq; hæc tradit: Cupro minus plumbi, quam fas sit, apponunt, ac deinde in cupella separant eousque, dum euanuerit Saturnus, & de Venere aliquantum remaneat: Hoc vocant illi in Saturno fixam Venerem.

49. Adhuc impostura Pseudochymica superest, si non omnib. maior, tamen non minima, quod quidam ex illis (quibus mediis aut viis, id ipsis optime notum, dummodo rationem reddere aliquando de iis possent) de perfectissimo & magno vniuersali, lapide Philosophico, alii autem de alia speciali tinctura Luna vel Solis (que
tamen

tamen ab aliis preparata fuerint) quid nacti sint, cuius vna parte in multas vtiliter proiectionem & veram transmutationem fecerint: Addunt praterea (licet falsissime) sese hasce praestantissimas medicinas metallorum à principio ad finem preparasse, ac posse ac velle adhuc (si modo aliquot millia talerorum ipsis numerentur) de nouo conficere: Quibus mendaciis magna praemia & praeclara bona sibi conciliarunt, quae vt recipiant, precibus adhuc inuitandi sunt: Cum vero lapis siue tinctura (quam alius fecit atque illi mirabili modo, interdum quoque contra conscientiam consecuti sunt) absumpta fuerit, imo saepe (quod dolendum) pessime perditā, tum vera ipsorum quoque ars transmutationis finem sortita est.

Quicquid hic Cunradus retulit, re ipsa & experientia satis innotuit: Possumus equidem quamplures enumerare, qui proiectiones tincturarum in diuersis locis nostro tempore fecerint, paucos autem, qui vel eruditione vel vitae probitate ac secrete suas res agēdo nomen reliquerint: In causa est, quod horum omnium tincturae vel fuerunt absque lucro & ex auro extractae, vel si verae, tamen non à possessoribus confectae: Si enim factae essent ab illis, non haberent causas, cur publice vulgo eas iactarent: Nam qui eas ostentant, per eas lucrari desiderant: Non sunt igitur veri Philosophi, etiamsi possessores aliquius particulae verae tincturae existere possint: Haec est praecipua causa, cur veri artifices, & qui ipsi opus perfectum praepararint, rarissime appareant, & qui appareant, eos vt plurimum non esse veros.

Accepi (inquit Hohenlandius) à nobili quodam viro nostra hac etate monachum quendam Italum hac arte confisum religioni & ordini suo renunciasse & in Germaniam venisse, vt liberius viueret, cucullam & aspera monasteriorum detestatum, sed dum incautius se gerit, duos in intimam ipsius familiaritatem sese insinuasse, à quibus postea in sylua quadam ex itinere maximo scelere trucidatus sit, quorum alter puluerem apud monachum repertum pro suo diuersis principibus & magnatibus ostenderit, & mille imposturis sub falso scientia nomine homines illuserit. Haec ille: qualis ille fuerit, multis innotuit, cuius nempe clauus leuiaureus alibi ostenditur, vt superius sub num. 29. meminimus.

Posthac Cunradus mirabilem fabulam Pseudochymicorum enarrat, quae sic habet: Si persuaderi tibi illorum iactationibus passus fueris, quod ex vrina pueri & puellae annorum 7.8.9. aut 10. (qui saltem pane albo & vino toto illo collectionis vrinae tempore nutriri debent) & ex optimo

F 2 . vino

50.

vino albo Homunculum Philosophorum (quo iuxta eorum narrationem ad omnium artium cognitionem peruenire possis) conficere voluerint & debuerint, qui cum Arcano sanguinis humani, aqua Rosacea & optimo vino conditus argenteo cochleari, ut ipsi mentiuntur, artificiose pascendus, & quando (suo tempore) vocem edat, ex vitro subtiliter educendus sit, ne iterum in fundum decidat & pereat, inque sua prima materia aquam redeat, si, inquam, ad hæc credenda adductus fueris, vide, ne ex ebore exigua oscicula quasi humana facta, in virum prouinciant, tibi que persuadeant fatuo, homunculū adfuisse quidem, sed ex negligentia quadam periisse, ut oscicula saltem sint reliqua, quæ præsentiam eius attestentur: Ridiculum est, quod narrent, eum esse virum contractæ breuitatis, altitudinis palmæ, indutum plerumque toga talari ex veluto, dormire in lectica exigua clausa, assidere mensæ in sella rubea sericea, loqui de omnibus rebus sapientissime, esse subtilium discursuum, ac re ipsa comprobare, quod sit Philosophorum filius: Et quid mendaciorum eiusmodi est, quæ nuge ante paucos annos tractata sunt. Hæc Cunradius.

Non mirum est, hæc fabulas & eiusmodi innumeras à brutalibus hominibus esse effictas & creditas, cum sæpe numero in Philosophorum libris, filii conceptionis, Embryonis, sanguine suo nutriendi, generationis, natiuitatis & educationis, donec ad iustam ætatem perueniat, mentio fiat, si ad literam nudam respiciatur: Sed qui eiusmodi ita intelligat, se omni intellectu carere manifeste ostendit: Vix aliquid actionis humanæ vel naturalis vel artificialis excogitari potest, cui non opus Philosophorum, aut secundum partem aut totum assimiletur, at propterea non imaginandum est, aut nihil esse id, aut omnia talia, prout dicuntur: Sunt illa arcanissima & filiis doctrinæ reservata ad discernendum, ad reliquos vero, quales sunt Pseudochymici, inuoluendum, ut se vix inde expedire queant.

Antedictæ fabellæ & hæc consonat, quam nuper quidam pessimus deceptor & Pseudochymicus, quibusdā ex vulgo simplicioribus persuasit: nempe sese fuisse in monte Veneris (imitatione illius Tanheuseri) ibique didicisse multa arcana, quæ sciret in Chymicis, plurimaq; mirabilia vidisse, inter cæteros seniore quēdam comitem sellæ suæ, cui tam diu insedisset, agglutinatum mēbris contractis, ex quo monte miro astu, per multos dies à cibo & potu abstinens tandem euaserit: qui nebulo postquam maximam Germaniæ oram suis dolis & mendaciis (patriam & nomen subinde mutans) cum multorum damno peruolarit & circumuenerit, dignus foret ut in subterraneā Cryptam aliquam,

aliquam, non Veneris, sed sceleris eiusmodi sociis conuenientem detruderetur, quo ibi tot tantasq; imposturas & fraudes, quas perpetravit, pœnitentia & sera & seria expiaret, nec aliis imposterum (nobilem se mentiando & Chymicum) falsissime imposeret.

Ultimo adicit Cunradius de dolis circa aurum potabile hoc modo: De imposturis, quas Pseudochymici cum falso suo auro potabili exercent, veluti & aliis Sophisticationib. multa adhuc dicenda forent: Verum quid agendum? Sunt tot nequitiarum pessimarum genera, vt impossibile sit, ea omnia agnoscere, multo minus enarrare: Quid bono illi Penoto cum Sophistico illo auro potabili, ex oleis Caphura, Caryophyllorum, sem. fœniculi & vitrioli, ante paucos annos Prage contigerit, ex libro eius de medicamentis Chymicis, videri potest: Hodierno quoque die quidam statum suum honestius considerare deberent, & cum Sophistico suo auro potabili tacere, si illud non haberent melius, dum folia auri miscunt cum sale tartari, ac superfuso spiritu vini aliquoties incendunt, ac deinde cum spiritu vini ruborem inde, non (veluti falso opinantur & asserunt) ex auro, sed ex sale tartari extrahunt, idque rubeum extractum suum aurum potabile fuco se prædicant: Dolus eiusmodi homines omni ex parte comitatur: Huc vlque Cunradius.

Cui vnum & alterum deceptionis Pseudochymicorum modum ex aliis authoribus adiiciemus: Anshelmus Boethius in libro suo de gemmis, vbi agit de magnete argenteo, p. 235. Argentum viuum, inquit, ad se trahere aurum & argentum spagyris & pyrotechnis iam diu notum est: Imo impostores Chymici huius rei notitia multos defraudant: Dum enim cinabrii partes se in argentum transmutare posse asserunt, id cum argenti laminis vrunt, vocant id cementare: Tum argentum viuum, quod latitat in Cinabrio, ad se aliquam argenti portionem allicit, qua absoluto opere reddita, putant se aliquam, vt dixi, Cinabrii partem transmataste: sed falluntur, cum id argenteis laminis decesserit & saepe plus (igne aliquid consumente) quam extraxerint. Huius imposturæ facit quoq; mentione Dionysius Zacharius veluti & Rubeus, multiq; alij.

Simili fuco (inquit Boethius ibidem) decipiunt, dum mercurium præcipitatum aurea patina imponunt illumque spiritu vini persundunt: Quo accenso & extincto præcipitatus Mercurius excalescens nonnihil auri ex patina ad se nulla visibili in patina nota aut macula relicta fugit, qui postea eadē forma, qua antea fuit exemptus, quantum attraxit auri, tantum reddit: Quod tamen ex auro attractum esse negant chymici, asserentes ex mercurii aliqua portione, à vi auri in illum agentis generatum: sed id falsum est, cum tantum auro decesserit, quantum mercurius attraxerit. Hæc Boethius.

§ 4. Similiter Crollius in *Basilica sua* post descriptionem auri potabilis, Hoc loco, inquit, syncerum lectorem candide de quibusdā imposturis precauēdis admonitum velim: posse illo puluere auri volatilis à malitiosis agyrtis litera longa dignis, vario modo simplicibus & incautis hominibus imponi: Communicatam ipsū aliquando cuidam Philosopho Corticario sub synceritate & pietate pharisaica hypocriticum ac colubrinum dexterrime decipientem animum tegenti, qui hunc puluerem (postquam ei sulfuris triti admixtionem, per admonitionem vim percutiendi ademisset) de facie incognitum suis imposturis miscens, cum damno aliorum & suo commodo auri multiplicationem apud plurimos attentauit.

§ 5. Idem furcifer postquam intellexisset à me Lunam in vulgari aqua separatoria solutam, & aqua vulgari salita reperiussam deicere puluerem in fundum, qui ter vel quater edulcoratus postea ad ignem in tigillo liquefceret, & post fusionem cornu forma referret, hanc corneam Lunam incognitam, ad candelam & ignem facile liquefcentem & cultro scisilem, aliis mineralibus & plumbo admiscuit, & hac insigni ac damnabili impostura post cineritii examen apud improvidos multos Saturni in Lunam transmutationem mentitus est. Huc vsque Crollius.

His haud dissimilem imposturam quibusdam vsitatam addimus ex relatione amici cuiusdam: Sumunt Lunam finam eique liquefactæ tantum sulfuris vulgaris triti adiiciunt, quantum capere potest, ferro semper mouendo: Hoc argentum persimile est mineræ argenti *Glass*. Erg, seu vitreæ dictæ, seu potius plumbo, ita vt vix ab eo discerni queat: propterea Pseudochymici id vocant plumbum, cui sua sulfureitas sit adempta, idque facilime puluisculo quodam Sophistico vice tincturæ argentificæ superiecto in bonum argentum conuertunt, igne sulfur comburente.

Verum his tandem impostoribus finis aderit, vt & eorum imposturis, quas sub hac quarta nota satis copiose recensuimus, non ex nostra obseruatione aut ingenio, sed aliorum, prout authores ipsos citaui-
mus.

§ 6. Posset autem quis Saturninus hæc tenus dicta ita interpretari, quasi magis in damnum, quam emolumentum Reipub. vel Chymicæ expressa sint, vt quilibet, qui antehac eorum vsum ignorauerit, vel nunc primo eum addiscere & exercere queat: At qui ita iudicant, nimis sunt suo arbitrio subtiles & acuti, & verentur id quod haud verendum sit: Nos scripsimus hæc in cautionem bonorum & Chymicæ amantium, non in abusum malorum & Pseudochymicorum, qui si iis alias abuti

præsu-

præsumant, (vt tamen vix opinor, nisi sua natura ad imposturas sint nimis proni & in ea praxi exercitati) vel huius tractatus lectione inducti, potius causas inueniēt, cur iis abstineant, seque in ordinem verorum Chymicorum potius, quam malorum, referant: Nec enim id eo taxantur vitia à Theologis viua voce vel scriptis, vt doceantur aut inculcentur, licet quidam ex iis, quæ audierint & legerint, multa post perpetrare possint ante non tentata: Nec à Iureconsultis criminum & facinorum actiones traduntur, vt scelerati iis operam impendant: Multo minus medici de venenis agunt, vt iis aliquis inficiatur aut per eat, sed vt infecti dignoscantur, quibus venenis confligentur, vt ex signis singulorum discretis remedium cuique suum infallibile sit in pròptu: Ita nos dolos, imposturas & deceptiones Pseudochymicorū, nec non notas singulorum diuersas collegimus, vt ex signis cogniti omnibus bonis vitentur & à veris Chymicis eo facilius vulgo dignoscantur: ne optima ars cum pessimo fuco & sophisticatione, doctissimi & probitate excellentissimi viri cum nefariis nebulonibus, vt ante monuimus, confundantur: sed sua cuiq; laus aut vituperium, suum cuique præmium aut pœna, honos & dedecus sit in propatulo: Iniuriam quoque nobis & suo proprio iudicio is faciet, qui vitia taxanti & falsitates aliorum confundenti & refutanti, eadem ascribat:

tum enim Prophetæ & Apostoli, concionatores & omnes iudices eorundem, quæ taxant, criminum & imposturarum, essent obnoxii: quod illis vt indignum, sic à rationali hominis discursu longe alienum est.

F I N I S.

